


WIRID
1771

Handwritten notes on a yellow paper label.

AB
1771





19

F. 7.
DISPUTATIO JURIDICA
De
AMICITIA
ET
INIMICITIA,

Quam
DEO FELICITER ANNUENTE
Magnifico & Nobilissimo Jctorum Collegio in Illustri
ad Salam Academia permittente

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

DN. ADRIANI BEIERI,

J. U. DOCTORIS CELEBERRIMI
Patroni ac Præceptoris sui omni observantiæ & hono-
ris cultu devenerandi

Publicæ placidæq; Eruditorum disquisitioni submittit

CONR. HEINR. MUMPEROVVE,

EX Schletbrügk VVestph.

A U T O R.

Ad diem 25. Martii

IN AUDITORIO JCTORUM

Horis matutinis consuetis.

—————
J E N Æ,

Typis WERTHERIANIS, Anno M. DC. LXV.

DISPUTATIO JURIDICA

AMICITIA

INIMICITIA

DEO FERRENTIA A. AMICITIA
Magister & Nobilissimus Johannes Collo in Illustri

DR. ABRHAM MIERL

Magister & Nobilissimus Johannes Collo in Illustri

CONTRA

IN ALBERTO TORINI

Typis W. HERMANNI, ANNO M. DC. LXX.



J. J.
*Præ-Eximio atq; Præstantissimo presentis tractatus
Auctori, Sectatori meo Strenuissimo, Fautori certissimo
atq; Amico Charissimo,
S. P. D.*

P R Æ S E S !

Cum pro argumento disputationis Academicæ
thema quoddam quotidiano usu tritum ac cre-
brius occurrens tractandum sit, plerisque in boni
disputatoris impingere leges videberis, qui de
AMICITIA conclamatis his agas temporibus,
ubi adeò rara avis in terris, nigroque similima cigno ea
fit, ut si quis ad infucatae amicitiae trutinam moderna pon-
derare cupiat tempora, laterem lavare, utopica narrare
somnia, vel ut benignius dicam, Platoniam loqui videat-
ur Rempubicam. Ibi etenim dies nefasti omnes, feriæ
perpetuæ, non fori strepitus, nec ullus palàm alii statûs mo-
vere audeat controversiam, nec sugillationes audiantur,
nec traductiones serpent aut subrepant: nemo amicitia-
am hætenus colat, donec alteri imponat, deque suo jure
quicquam subtrahat: Nullus jura, quibus mutua inter
homines tollitur amicitia, aut æquabile statutum tempera-
mentum, roget: Tantum juris ibi quantum amicitiae; nec
alter alterum supplantare satagat. Quæ certè non sit no-
stri seculi felicitas, ubi fratrum quoque gratia rara exi-
stat. Nec longè quærenda causa, Postquam enim ami-
citiæ fundamentum æqualitas existimetur, ineptiores ple-
rum-

rumque amicitiae architecti columnas sine limitibus superficiei superponant, fundamentum parietibus, ipsique adeo tecto admixturi; columnas etiam ipsas adeo arcte nectentes, ut una appareant, cui moles instar molendini pneumatici insistat, ad quemlibet aeris motum trepidans, & innumeris restorationibus vix à ruinâ servanda. Exulante ita verâ & infucatâ amicitia, causam ipsemet invenire nequeo, quare de amicitia sis dicturus. An forte ut ostendas quid Romæ fieri debeat, non quid fiat? hæreo. Sed enim, post tot præstantissimorum ingeniorum lucubrationes, quibus fermè nihil in Jure nostro intactum relictum est, pretium operæ locaturum te credidisti, materiam quandam seligendo rariorem, quæque quantum ego quidem scio, cathedram academicam hactenus nondum occupavit, in quâ elaborandâ ingenii, quod in Te haut contemnendum scio, vires exerceas. Et exercuisti certè sic, ut non inanibus insistas argutiis, sed foro te quoque didicisse ostendas. Nec alius insequi poterat autumnus verum adeo negociosum, quem per omnia traduxisti Juris tirocinia, ab ipsis elementis ad Systemata, ab examinatoriis ad disputatoria pergens mecum collegia. Quin unâ cum pluribus Nobilissimis commilitonibus Autor extitisti, ut vel tandem Scholas panderem canonicas (cùm Jus civile solum animum discendi cupidum exfatigare non potuerit) quibus imparem me facile prævidi, meque huic labori subducere maluissem, nisi adeo Præstanti atque in spem seculi natæ Juventuti quæ huc confluit, inserviendi ardor vicerit. Perge itaq; mecum, ut pergis, in stadio Juridico decurrere, ut legitimò opere perfectò partes Reipublicæ & nobis aliqua credantur, & vel sic à plebe segregemur. Ita Deus faxit!



IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

PROOEMIUM.

REm in præfenti non minimam ag-
gredimur, sed in omni penè corpore juris effu-
sam, inquit Imp. in *l. unic. princ. Cod. de rei uxor.*
adf. Idem ad substratam materiam & nostrum
conatum non inconcinnè applicari posse, res
ipsa comprobabit. Ne autem hæc disputatio
cuiquam primâ fronte ethica potius quàm
juridica videatur, notandum est quod dicit Aristoteles *lib. 8. E-*
thic. ad Nicom. cap. 1. in omni societate, quantum juris, tantum
AMICITIÆ esse, adeò ut nulla civitas absque eâ rectè consti-
tui aut conservari possit *ibid. cap. 11. & 13.* & de eâ AMICITIA,
nec non contradistinctis INIMICITIIS, cum in omni ferè
materia juris non nihil occurrat, in præfentiarum Disputatione
nostram lubet exarare. Et ne rem tam necessariam, quæ in omni
reip. administrandæ formâ eatenus, quatenus jus, suos fines pro-
ferre videtur, confusâ tractatione obscuriorem magis, quàm
elaboratione nostrâ clariorem reddamus, ordine sive methodo
ab Imperatore inspecialiori parte juris observatâ, AMICITIÆ
usum per varias juris causas deducemus. Priusquam tamen ad
rem ipsam nos accingamus, melioris intelligentiæ causa pauca
quædam de onomatologia nominis, descriptione, divisione &
causis, quæ primis tribus capitibus continentur, præmittemus.

CAPUT I.

De Onomatologia amicitiae.

AD onomatologiam tria potissimum requiruntur, Etymolo-
gia, Homonymia & denique Synonymia: de singulis in se-
quentibus. Et quanquã vocabuli amicitiae derivationem quibus-
vis

A

vis

vis latinitatis tyronibus obviam crediderim; absolum tamen haud erit, si pauca quaedam de origine ejus praelibaverim, cum juri operam daturum prius nosse oporteat, unde nomen juris descendat Ulpian. *in l. 1. de J. & J. ut &*, quid sit, de quo quaeratur, monente Julian. *in l. 13. §. 3. D. de reb. dub.* Deductum itaque est ab amare, teste illo Oratorum Principe Cicerone *1. de nat. Deor. & alibi. Quid autem inquit est amare, à quo nomen amicitiae ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex his nihil redeat?* Homonymiam quod attinet, amicitia

2.
Homonymia.

- I. est vocabulum generale & vulgo significat mutuam quamcunque benevolentiam & cohabitationem, qua congerrones, conbibones idque genus socii etiamnum amicos se invicem appellant, eaque ex levi notitia contingit & inter improbos plerumque est. II. Est nomen singularis honoris: Unde Rectores sive Praesides provinciae *l. si post 4. Cod. de jur. & fact. ignor. Praefecti Urbi l. 1. Cod. si mancip. ita vend. ne prest.* & quod magis est, Duces Venetiarum, qui alias neminem nisi Deum superiorem agnoscunt, amici Imperatoris Romano-Germanici dicuntur. Vid. Joan. Marqv. *tract. de jure mercatorum singul. lib. 1. cap. 5. num. 21. pag. 38. Limn. de jure publ lib. 3. cap. 3. num. 31.* III. Amicitia Ethicis est amor perfectus, qui virtutem pro fundamento habet, & non nisi inter bonos est, quae Aristoteli *lib. 8. Ethic. cap. 3.* Kekermanno *in lib. 3. System. Ethic. cap. pen.* & plerisque sequacibus κατ' ἐξοχήν vera, & in humano genere rarissima, Alciato *ad l. lata culpa 223. ff. de verb. signif. num. 9.* maxima, & ad superiores recessisse, nec in humanis amplius habitare videtur. IV. JCrus etiam amicitia dicitur conjunctio non adeo levis, sed quae ex honestis cum patre-familias familiaritatis rationibus descendit, Paul. *in d. l. 223. π. de verb. signif.* & de hac leges, quae amicitiae gratia aliquid indulgent (*exemplum est in l. 4. §. 3 ff. de legationib.*) vel vetant, intelligendae sunt, Alciat. *ad d. 223. de V. S.* Quali amicitia ductus negotiorum gestor, qui vel absentibus nobis vel praesentibus negotia nostra gerit, amicus dicitur, eo, quod contractus iste ex officio amicitiae proficiscatur *l. si negotium 25 ff. de reb. aut. jud. poss. l. tutori 20. C. de negot. gest. l. 31. pr. & §. 2. eod. l. 39. §. 2. ff. de administ. tutor. l. si absens 6. ff. ubi pupil. educ.*

educ. vel mor. deb. ut & amicus voluntarius, Jacob. Cujac. 10^o obs. 25. Quo sensu etiam mandatarius l. 1. § 4. ff. mand. imò qui-
libet liber homo sui juris, alioquin familiaritate quâdam nobis
iunctus l. si liber homo 36. ff. d. tit. de neg. gest. amicus appellatur,
& illi qui in potestate nostrâ est, contradistinguitur d. l. 36. ad eò
ut etiam tutores curatoresvè, iudices, ubi, si de re pupilli aut
minoris agitur, auctoritatem suam interponunt, amici dicantur,
Andr. Gail. lib. 2. præct. Obs. 125. n. 5. eaque amicitia nobis curæ
erit. Restant de Synonymia dicenda: Æquivalet vocabulo
amicitiæ (1.) familiaritas l. 41. de acq. vel amitt. poss. Ubi Paul.
qui jure familiaritatis ait amici fundum ingreditur, non videtur
possidere. (2.) necessitudo l. hac autem 5. §. 1. ff. quib. ex caus. in poss.
eat. (3.) caritas d. l. 5. §. 1. & l. si servus plurimum 50. §. ult. in f. de le-
gat. 1. l. nemo 58. §. 1. ff. de hered. instit. & denique (4) concordia,
observantia &c. quæ benevolus lector (si placuerit) ex suo su-
peraddat, nobis brevitati studentibus huc ea referre non allu-
bescit.

7.
Synony-
mia.

CAPUT II.

De Descriptione & Divisione.

Nunc ad ipsam descriptionem, quæ pro instituti ratione talis
esse potest: Amicitia est conjunctio hominum ho-
nestâ consuetudine, vel cum parentibus nostris & in
nos usque conservata, vel nobiscum introducta ad be-
nè beateque vivendum conducens. d. l. lata culpa §. amicos
ff. de V. S. ad eamque Alciat. nec illi veræ, ut Ethicis accipitur,
quicquam derogat; sed diverso respectu à diversis consideran-
tur, ut ex sequentibus patebit.

1.
Descri-
ptio.

Notandum enim JCros non aliter definire objecta sua
quæ ex aliis disciplinis & facultatibus depromunt, sed eo ipso,
quo v. g. Physici aut Ethici affectus aut virtutes describunt, mo-
dò, contenti sunt, & mox jura applicant, illis relinquentes, stare
in foro contradictorio possit ea descriptio, an secus. JCrta enim
tantùm in actu exercito & in hypothesi ea tractant, quæ illi in
thesi; cum ad suum forum non pertineat rerum naturam inda-
gare, sed eam à Physico jam patefactam secundùm leges foren-

2.



3. ses examinare, jusque latum ad eam applicare. Sic ad Jctum non refert, caput sit sedes animæ an cor. Quam diu ipsi Physici pro priori disputant, Jctus non ibit in contrarium; sed traducet hoc ad facta legitima, quorum nullum pro subsistente judicabitur, cujus malum est initium. Ita dum institutio heredis caput testamenti est §. 34. *Inst. de leg.* quicquid ante eam dispositum, nullas habere dicunt vires: Ubi verò melior sententia Physicis resedit, cor animam habitare, nec Jcti dissentiunt, eruntque contenti, si vel in medio testamenti anima ejus, heredis institutio, posita sit, ad hoc ut vires ex ea capiant omnia antrorsùm & retrorsùm posita. Dum Physici mense etiam septimò partum edi posse per rerum naturam affirmant, Jctus omnes eo mense natos habebit legitimos *l. 12. ff. de stat. hom.* ibique Dn. Hahn. *ad Wesenb. pag. (m) 164.* ubi latè hanc rem prosequitur. Dum vulnera hæc vel illa habent lethalia, Jctus eum, qui talia dolosè inflixerit, pro homicida habebit. Perindè & in præsentì themate, Jctus sollicitus primariò non est, quid sit amicitia, aut de aliis eò pertinentibus, illud enim Ethico relinquit, qui postquam, quæ sui circa eandem sunt officii, peregit, tradit eam Jcto in civitatem ad forum perducendam, ut ibi suas leges, suaque jura accipiat; Jctus examinat quinam actûs sint amici, vel qui ab inimico vel hoste profecti, & prout invenerit ita judicat.

Divisio.

7. Quod spectat divisionem, ut præmonuimus nostri instituti non esse, omnia primariò juxta naturam suam eruere, breviores erimus: Relinquendo itaque Ethicis uberiores divisionem, dicimus amicitiam aliam esse Veram sive perfectam, aliam imperfectam. Illa quæ sit, jamtum supra cap. i. n. 4. dictum fuit, de qua prædixit Philipp. Melancht. *Es werde der Welt mangeln an Gelde / Holtze und guten Freunden.* Vid. Limn. *de jure publ. lib. 3. cap. 2. num. 66.* sola enim in eâ honestas spectatur, nullâ habitâ ratione voluptatis aut utilitatis: Unde Cic. *lib. 2. de finib. honestum ait illud intelligimus, quod tale est, ut detractâ omni utilitate sine ullis præmiis fructibusque per se ipsum laudari possit; non tamen per hoc utilitatem voluptatemque à verâ amicitia omnimodò separatam volumus, sed in*
 eâ po-

eâ potius per consequentiam & concomitantiam quasi compre-
henduntur, involveret enim contradictionem, cujusquam ami-
cum esse, nec ei benè facere, cum amicis propria sit beneficentia
Papin. in l. 10. ff. de annuis legat. In hac contrâ jucundum &
utile; Quare hanc magis impropiè sive per accidens & simili-
tudinem amicitiam dicit Philosoph. d. lib. 8. Eth. cap. 3. Et si
duo, aut quotquot illorum sunt, voluptatis gratiâ se conjun-
gunt, amicitia imperfecta jucunda dicitur, quæ combibonibus
den Sauf=und Compagni=Brüdern/Doppelern & con-
similibus propria est, & cessante voluptate contortioque, quo-
rum intuitu se conjunxerunt, cessat & amicitia, quia ex levi ple-
rumque notitia nata est, Vid. Alciat. ad d. l. 223. ff. de V. S. vulgò
aus den Augen/ aus dem Sinn. Sin verò utilitatem re-
spicientes se conjunxerint, *imperfecta utilis* appellatur, de quâ
elegantè Cic. *Si amicitiam ad fructum nostrum referemus, non
ad illius commoda quem diligimus, non erit ista amicitia, sed merca-
tura utilitatum suarum &c.* Unde si qui fortunis alicujus indu-
cti amicitiam ejus secuti fuerint, hi simul ac fortuna dilapsa,
devolant omnes, ad quod facit illud Aristotelis 8. Eth. cap. 10.
*tam diu manet inquit donec amantes utilitates ac voluptates mu-
tuo suppeditant;* cum enim recessit ea res, quæ fuit consuetudi-
nis causa, nihil superest quare possint in amicitiam retineri.

Sunt etiam qui subdolè fingunt amicitias, quos tacendo
præterire nefas esset: Et abusivè dicitur amicitia simulata,
falsche gefärbte und eigennützigte Freundschaft/ tollunt
enim amabilissimum veræ amicitiae nodum, qui blanditiis suis
& ad tempus aptis simulationibus aures suorum ambiunt fri-
cantque secundum illud Oweni:

Dixit Anaxagoras atram esse nivem, gravis autor,

Hec etas multos vidit Anaxagoras.

Laudavit niveas corvi vulpecula pennas,

Heu mihi, quot vulpes secula nostra ferunt.

Nam veræ & infucatae amicitiae proprium est, amicum, si quid
contra æquitatem, honestatem aut bonos mores moliatur, mo-
destè, ut desistat monere; *nulla enim in amicitis capitalior pe-
stis est, quam assentatio, blanditia, adulatio vitiorum adju-
trix:*

eorum nempe quibus omnia indifferenter sunt probata.
Cicer. in Læl.

CAPUT III.

De Constitutione amicitiae per causas.

CONsideratur amicitia I. ut constituenda sive concilianda II.
ut conservanda III. ut restauranda.

- 1.** Exoritur in genere amicitia ex paritate quâdam & simili-
Constitu- tudine, quando duo vel plures in uno tertio, quod appetunt,
tio. conveniunt, quæ tandem pactis foederibusque firmatur *l. non dubito 7. §. 1 ff. de capt. & postl. revers. ubi Gothofr. lit. y.* Constitit autem illa paritas (1) in moribus; nam v. g. inter bonum & malum, humilem & superbum nunquam perfecta intercedit amicitia, adeò, ut si alter eorum, qui tempore constitutæ amicitiae boni erant, præter spem malus sceleratusque evadit, statim corruat amicitia. *Disparis enim mores inquit Cic. disparia studia sequuntur. quorum dissimilitudo dissociat amicitias; & è contrà paritas sive æqualitas est conservatrix amicitiae.* Ita enim mutuam obsequium mirum in modum animos invicem adstringit, juxta illud: *Obsequium amicos, veritas odium parit* (2) in bonis fortunæ: rara enim inter divitem & pauperem est amicitia, & si sit, vacillat, quia pauper beneficia à divite in se collata pariter nequit resarcire, nisi aliud cum alio v. g. utilitatem cum voluptate commutare velint & tunc est minus perfecta amicitia *Arist. 8. Eth. cap. 8.* nec ullibi commodius probantur mores & studia hominum, quam in fortunâ vel prosperâ vel adversâ vid. *Ecclesiast. 12. vers. 8. & 9.* (3.) in dignitate: & multum interest tam ad conciliandam quam conservandam amicitiam, ut personæ sint ejusdem fortis & conditionis, nam ubi impar est conditio, ibi locum non habet familiaritas, quam perfecta amicitia requirit, nisi superiores in amicitia se submittant & sic quodammodò inferiores extollant; quod rarissimè fit, quia superiores per hoc authoritati suæ opinantur derogari. Quare præstat personas constituentes in omnibus sibi similes esse, & firmiter erit amicitia, secundum commune: *aves sibi concolores libenter unâ volitant.* (4.) Causa ad constituendam amicitiam

etiam impulsiva & occasio est quotidiana aut frequens conver-
satio l. 4. C. de Castr. pecul. cujus beneficio, an amandi digni
sint amore, nec ne, quilibet potest dignoscere, cavendum enim,
ne in graves inimicitias convertat se amicitia, si fortassis nihil
aut parum in amicis sit, cur diligantur. (5.) professionis pari-
tas : Sic ea amicitia quæ armatos milites intercedit, ex commi-
litio & pari professione oritur l. 19. pr. ff. de castr. pecul. nec non
ea quæ inter togatos est, studiosos nim. in Academiis liberales
artes profitentes, quæ quidem prius imperfecta & jucunditatem
plerumque respiciens, si successu temporis in honestam perfe-
ctamque commutetur, eâ nulla firmior est. (6.) Educationis si-
militudo : magnum quippe ad amicitiam momentum habet
educationis communitas & ætatis æqualitas & eapropter fra-
trum amicitiam sodalium amicitia simillimam dicit Aristot. 8.
Ethic. cap. 14. quod etiam videre est in vicinorum liberis pari-
ter educatis, quanto se amplectantur amore, præsertim si in lo-
ginquas distitasque terras simul ablegentur. (7) ex conjugio
oritur amicitia; inter maritum scil. & uxorem: eaque in excel-
lentiâ posita est, Aristot. d. l. 8. cap. 8. & alibi in quâ eadem utri-
que nec præstantur nec sunt præstanda; maritus enim qui po-
tior est imperio & dignitate, magis debet amari quàm amari
Aristot. d. l. (8) Ex subjectione quoque amicitia quædam sub-
nascitur, qualis est inter magistratum & subditos, patrem & fili-
um, dominum & servum, & itidem in excellentiâ posita est, in-
quibus proportione amatio exstare debet. Aristot. d. l. Ge-
nus amicitia & quasi primus ejus gradus est benevolentia, quæ
longè latius extra amicitiam se extendit, quia possum cuiquam
benè velle, nec tamen ipso actu benè facere, quod aliàs jam con-
ciliatæ amicitia proprium est. Causa proxima est ipsa virtus,
cujus habitus est amicitia Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt.
39. num. 65. cum enim virtutis lumen sese exserit in duobus, al-
ter alterius animi integritatem cognoscentes, eam vicissim sibi
applicant, ex quo in utrisque amor mutuus exardescit & ami-
citia.

Conservatur vera amicitia nihil contrà moliendo, scil. per
eam ipsam virtutem cujus intuitu conciliata est, quemadmo-
dum

II.
Conserva-
tio.

dum ait Cic. in Læi. *virtus & conciliat amicitias & conservat*.
Quando autem alteruter amicorum adeò à virtute degenerat,
ut manifestò improbus appareat, desinit esse amicitia, & subin-
dè in capitales inimicitias resolvitur, ut alter alteri per lapidum
positionem gravissimas ad mortem usque struat insidias *l. 9. ff. de*
extraord. Crimib. Ea verò quæ per accidens & similitudi-
nem amicitia est, & imperfecta dicitur, conservatur, quando u-
trinque fit par officiorum compensatio, sin minus, dissolvitur.

12.
13.
Restaura-
tio.
Collapsa (fortè per subitò exortam aliquam offensionem,
quæ ex frivolâ contradictione, ad quam humana natura admo-
dum proclivis est, sæpenumerò provenit) per transactionem
vel quæmcunq; amicabilem compositionē restauratur. *c. 7. extr.*
de transact ubi amicabilis compositio idem est quod gratuita re-
missio. Magnatum etiam aliàs irreparabiles inimicitias, post
multos armis trucidatos, aliquoties per nuptias sedatas esse, an-
nales docuere.

CAPUT IV.

De effectu amicitiae circa jus publicum.

1. OMNE jus, quo in Imperio Romano utimur vel est publicum
vel privatum *§. ult. Inst. de J. & J.* Prius in publico im-
mediatè reipublicæ salutem respiciente quid conferat amicitia,
de quo aliàs integra volumina conscribi possent, paucis tan-
gemus.
2. Potior ejus in hoc jure effectus est pax & publica secu-
Potior ef-
fectus est.
PAX.
ritas, ad cujus conservationem AMICORUM consilia nonni-
hil operantur, omnia enim prius consilio quam armis experiri
decet, quo, si hostium aut exterarum gentium machinationes
propulsari minimè possint, tum demùm ad necessariam & omni
jure licitam defensionem, tanquam ad sacram anchoram con-
fugiendum est, & nullum aliud, ad tuendum se adversus hostium
insultus, remedium superest, quàm æquè potentem esse; Sed
3. quid si desint vires aut propria potentia? Confœderatos contra
potentiorum confœderatis succurrere debere non est ambigen-
dum; idem etiam AMICI solius AMICITIÆ ratione pos-
sunt, Hugo Grotius *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 25. num. 5.*
pag.

pag. (m) 454. Vis enim unita fortior est, *conf. Nov. const. Leonti*
102. cavendum autem, ne ex tuitione unius, alterius offensio
oriatur, & ita intervenientes eadem postea chorda oberrent: Sic
propter eam AMICITIAM, quam *preced. cap. num. 8.* inter
magistratum & subditos esse diximus, tenetur magistratus ob
atrocem injuriam uni atque alteri subditorum illatam, arma
sumere, quod rectæ rationi non adeò inconveniens est, quia
subditi multifarias collectas magistratui pensitare debent, pro
quibus nil nisi protectionem nanciscuntur: Limitatur tamen,
nisi cum magno omnium aut plurimorum subditorum incom-
modo fiat, major enim cura est totius reipublicæ, quàm unius
atque alterius civis *Vid. Grot. d. loc. num. 1. & 2.* Si autem quis
enormitèr latus sit, & de facto indefensus relinquatur, an
etiam invito principe s. magistratu in aliam regionem migra-
re licebit? Et distingvendi sunt duo casus: aut ipsi subdito qua-
tenus talis est, aperte in ipsius Principis sugillationem, in-
juria facta est, & potest in aliam ditionem, ubi princeps majo-
rem sui curam habeat, impunè profugere. Sibi enim imputet
princeps, quòd non defenderit; Aut enim injuria solum in
subditi contumeliam vergit, & si aufugiat, magistratui loci, ubi
consuetudine id introductum est, aliquid pensitare debet; quod
Germ. Nachseuren/Andr. Gail. 2. Obs. pract. 25. num. 9. aliàs
etiam jus migrationis *Abzug, Geld* vocant; *ibid. O. 36. num. 10.*
quod magis propter onera personalia, quæ migrantes subterfu-
giunt, quàm bona introductum putem, quia nihil aliàs v. g.
municipibus per hoc decedit. Bona enim immobilia in catastro
signata, in loco manent, & solum novi possessoris nomen ad-
scribitur *Nobilis. Dn. Præses in notis suis privatim dictatis ad*
Schnob. diff. 25. tb. 28. verb. migraturi. *Conf. Gail. de arrest. Imp.*
cap. ult. num. 12. Joh. Herm. Stamm. de servit. pers. lib. 3. cap. 8.
num. 10. Et qui singulos subditos ita migrantes suscipit, non
facit contra AMICITIAM, quia non tantum naturalis, sed &
favorabilis est libertas, domicilium sibi, ubi libet parare, *l.*
domicilium 20. l. nihil est 31. ff. ad municip. | Hug. Grot. de l. b. &
p. lib. 3. cap. 20. num. 41. pag. (m) 645. & lib. 2. cap. 5. n. 24. pag. 179.

Quamquam juris postliminii, servitute inter Christianos 8.

B

sub. Postlimi-



non rever sublatâ, nullus, aut si cum Mahumetistis sit actio, exiguus usus
vitur (1.) est, ut tamen nihil antiquitatis penitus ignoretur, occasione bel-
personâ. li pauca quædam de eo lubet annectere. Reversus non solum

9. videbitur captus ab hostibus, si intra suorum præsidia esse
coeperit; sed &, si in civitatem sociam AMICAMVE, aut
ad regem socium vel AMICUM devenerit, Pompon. in l. 5. §.

10. 1. Paul. in l. 19. §. 3. D. de capt. & postl. reversis, quod à non-
nullis duntaxat ad eos, qui easdem in bello partes sequuntur,
minus rectè restringitur, nam postliminio rediisse intelligitur
qui ad eum locum pervenit, ubi nomine publico tutus esse in-
cipit, d. l. 19. §. 3. in fin. idcirco qui AMICI fidem elegerit, in ejus-
que præsidia se contulerit, & ille publico nomine tutus erit.

11. Maximè autem interest, ut vel virtute, vel dolo, hostium potesta-
ti se subtraxerit, quia absurdum foret, communem AMICITI-
AM hoc operari, ut captivus, si nihil ad sui liberationem fece-
rit, sed fortassis ab hostibus per limina communis AMICI du-
catur, ipso jure, vi loci, liberaretur; novissimè Dn. Marqv. 17. de
12. jure mercat. & commerc. sing. lib. 1. cap. 15. num. 27. & seqq. Ha-

(2.) Res.

ctenùs de personis postliminio revertentibus, nunc de rebus:
Et immobiles, expulsis virtute militari hostibus, ad priores do-
minos redire non est ambigendum l. 20. §. 1. d. tit. l. 19. princ. eod.
potest tamen Dux victor victis ex gratiâ & AMICITIA agros
suos concedere. Magnif. Dn. Strube Patronus ac Præceptor

13.

meus æternùm colendus in Exercit. ad π. 41. tb. 19 pag. 543. Mo-
bilia verò rerum regularitèr non est postliminium, quia in-
prædâ sunt l. 28. ff. b. tit. nisi in fugâ rursus hosti erepta sint, præ-
laudatus Dn. Strube / Exerc. 50. tb. 40. Dn. Schnob. Diss. ad π.
25. tb. 24. nec interest an intra sua, an AMICORUM præsidia

14.

reperiantur. Ab hâc regulâ videmus olim excepta, quæ in bel-
lo usum habent l. 2. ff. b. tit. quod ideò placuisse gentibus vide-
tur, ut recuperandi spes ad ea comparanda alacriores homines
redderet: Vide prolixè hac de re disputantem Dn. Marquar-
dum d. loc. num. 25. & seqq. usquè ad fin. capit. Dn. Hahn. ad We-
senb. tit. de capt. & postl. revers. num. 3. ibiq; citat. Grot.

de J. b. & p. lib. 3. cap. 9. per tot.

CAPUT

De his qui alieni juris sunt.

Jus Pēra
CONARUM

ET sunt vel in domini vel in patris potestate: In domini potestate est, servus, in quem quid domino juris sit, nulla ferme qua non dicat, lex est: Qui, si post delictum commissum, forte metu poenae s. castigationis, ad **A M I C U M** domini deprecaturus confugit, nondum est fugitivus, quia sperat se per intercessionem **A M I C I** veniam delicti impetraturum, eaque impetrata reversurum *l. 17. §. 4. l. 43. §. 1. ff. de edil. edict.* Imò nec, quantumvis nulla intercessio, multò minus remissio subsequuta sit, & servus de veniâ desperans, non amplius eâ mente ut revertatur, apud **A M I C U M** deprehendatur, fugitivus censetur *d. l. 43. §. 1.* neque poenâ fugitivis statutâ *in l. 3. Cod. d. tit. plecti potest*, cogitationis enim poenam nemo patitur *d. l. 43. §. 1. in fin. § l. 18. ff. de poen. vid. eleg. l. 225. ff. de V. S.* Hodie, servitute inter Christianos incognitâ, ad homines proprios (die Leibeigene) hæc plurimâ ex parte accommodari possunt, welche als ein pertiens der Höfe und Aecker/ohne der Eigenthums-Herren Belieben und Willens sich von ihren Aeckern und Höfen nicht ab und an andere Dertter begeben können/sondern da es geschehe / nicht anders als wann sie sich weggestohlen/gehalten wird: & habet dominus plenariam potestatem, colonum se subducentem revocandi, Vid. David Mevius von abforderung der Baurg-Leute / in der 2. Hauptfrage num. 1. & seqq. imò etiam propriâ authoritate apprehendendi, si copia judicis haberi nequeat, Stam. de servit. personal. lib. 3. cap. 25. num. 3. conf. Gail. de arrest. cap. 8. num. 17. & seqq.

Libertus cum **INIMICIS** patroni conspiras, ut in se aliâ hostis Patroni non sit, quia tamen amici munere sic conspirans non fungitur, si patronus id probare queat, in metallum condemnabitur *l. 1. §. 10. in fin. ff. de off. praefect. urb.* nec liberabit eum quòd sociaverit saltè se **INIMICIS**, **INIMICUS** autem non fuerit: Quasi **AMICUS INIMICI** mei non sit meus **INIMICUS**, *arg. l. 47. in fin. ff. de Reg. Jur.* ubi socius socii mei non est meus socius & *§. 8. l. de nupt.* quia frater mei fratris non continuo est meus frater. In eo quippè ingens est differentia, quòd termini

Domini-
ca pote-
tas.

1.

2.

3.

Usus bo-
diernus.

4.

de liberta.

hic non sufficientèr sibi respondeant, cum dicendum foret: AMICUS AMICI mei, non est meus AMICUS. INIMICUS INIMICI mei non est meus INIMICUS. Ita enim quadraret. Ast in objectione ità habetur: AMICUS mei INIMICI non est meus INIMICUS: id quod oppidò falsum est, quia eo ipso, quòd INIMICO meo fa- vet, oportet ut me oderit. Huc quoque refer ea, quæ infra cap. 9. num. 14. diximus.

5. **Patria potestas.** In potestate patriâ sunt liberi, quorum appellatione & ne-
Sponsalia potes veniunt §. 5. *Inst. qui test. tut. dari poss.* Ea constituitur per
nuptias, legitimationem & adoptionem. Nuptias præcedunt
Sponsalia. Ea, an per INIMICITIAS dissolvi possint, quaritur?
Et distingvimus: vel leves sunt INIMICITIAE, fortè ex levi
quodam ortæ dissidio, & non sunt dirimenda sponsalia, sed po-
tius iudex, ut eorum animos componat, allaborabit: vel sunt
graves & implacabiles, ut nulla spes reconciliationis resideat, &
ad dirimenda sponsalia propensior erit c. 2. *extr. de sponsalib.* pro-
lixè Magnif. Dn. Richter itidem Patronus ac Præceptor meus
omni observantiæ cultu devenerandus *part. 1. decis. 8. n. 9. 10. & 11.*
Dn. Carpzov. *lib. 2. Jurispr. consist. tit. 10. def. 176. num. 5. & seqq.*
6. **Nuptias.** Cæterùm in nuptiis considerandæ veniunt personæ I. princi-
pales s. ipsas nuptias contrahentes; ut sunt Vir & mulier. Et
prohibetur de jure civili tutor uxorem ducere pupillam a-
dultamve l. 36. §. 66. *ff. de rit. nupt.* ne propter AMICITIAM &
reverentiam tutori debitam, maximè, si & maritalis accederet,
rationes subducantur, & tali conjunctione fraus administratio-
nis tegatur l. pen. C. de interdikt. matrim. inter pupil. §. 1. 64. ff.
b. tit. (nisi ipsi tutori à patre destinata testamentove nominata
fuerit *dd. l. 36. §. 66.* vel rationes tutelæ jamtùm redditæ l. 62. §.
f. d. t.) quod tamen hodiernis moribus non attenditur Magnif.
Dn. Struve *Ex. 29. tb. 29. num. 6. ibiq; citat.* II. minus principa-
les s. accessorix; ut sunt parentes, quorum consensus necessariò
requiritur *pr. Inst. §. l. 2. ff. b. t.* Matris verò consensus de jure ci-
vili (*secus est in jure divino & Elect. Saxon.* Dn. Carpz. *d. loco*
def. 44.) non requiritur Dn. Hahn. *ad Wesemb. b. t. num. 3. pag.*
299. Non obst. l. 1. l. 20. C. de nupt. nisi pater in arbitrio matris nu-
ptias

ptias esse voluerit l. 62. ff. b. e. quò casu tamen mater filiam IN T
M I E O patris elocare minimè potest, sed data ista libertas ad
honestà, & id, quod pater aliàs permissurus esset restringitur,
Gothofr. in not. ad d. l. 62. lit. f. Eòdem ferè modò testator nupti- 8.
as filix suæ in A M I C O R U M aut cognatorum voluntatem con-
ferre potest l. 14. de dat. preleg. aliàs stricto jure illorum consen-
sus non requiritur l. 8. C. b. t. quemadmodum & tutorum curato-
rumve Dn. Hahn. ad Wesenb. d. l. Dn. Carpzov. d. lib. 2. Jurispr.
confst. def. 46. & seq. sed saltim iudicium s. arbitrium eorum ad-
hibetur l. 1. l. 20. C. b. tit. (Dissent. noviss. Dn. Brunem. ad d.
l. 1. Cod.) confer. Schneidew. ad tit. de nupt. part. 2. per tot.

Secunda causa patriæ potestatis est Legitimatio, quæ fit
etiam per subsequens matrimonium. Ad legitimationem hanc per
subsequens matrimonium, an necessariò dotalia instrumenta
requirantur, non levis inter Dd. est contentio. Nos cum Ma-
gnif. Dn. Struv. Ex. 3. tb. 50. ea non esse de essentiâ legitimatio-
nis, sed saltim, ut constaret de mutatâ affectione concubinariâ in
maritalem, adhibita fuisse statuimus (Dissentit D. Luduv. ad
§. ult. Inst. de nupt. ibique citat. Bachov. ad Tr.) si verò
matrimonium A M I C O R U M fide firmatum sit, præsertim inter
pares honestate personas, & quantumvis nulla super hoc instru-
menta confecta fuerint, tamen antè natis jura legitimorum non
possunt auferri, ex. notab. in l. 22. C. de nupt.

Restat tertia causa patriæ potestatis adoptio. Et quamvis
stricto jure Romano fœminæ adoptare prohibeantur, non mi-
nùs tamen ex singulari gratiâ principis, in solatium liberorum
fortè bello cæsorum, ipsis indultum fuit §. 10. J. de adopt. dili-
gentèr tamen inquirendù erat, ne mulier adolescentulum quen-
dam sub prætextu adoptionis A M I C U M sibi redderet, aut alia
turpis causa fœdi amoris, qui Romanis familiaris erat, l. 31. C. ad
l. Jul. de adult. subesset. l. 17. princ. ff. de adopt. confer. Jodoc.
Damhoud. prax. crim. cap. 96. num. 4. 5. & seqq. usq. ad 12. pag. (m)
309. Similis ferè adoptioni, nonnullis in locis frequens, est unio
prolium (die Eintindschafft) quandò viduus vel vidua vel alteru-
ter eorum ad secundas nuptias transire volens, A M I C O R U M

9.
Legitima
tio.

10.

11
Adoptio.

12

B 3

con-



consensu & Praefecti ejus loci authoritate interposita Gall. 2,
Obs. 125. num. 7. cum futuro conjugē de liberis procreatis &
procreandis ita paciscitur, ut praesertim quoad successionem, pro
germanis habeantur. Vid. Magnif. Dn. Struvei Ex. 1. lib. 66.

CAPUT VI.

De his qui sui juris sunt.

1. **E**T sunt vel sub tutelâ, vel curâ, vel neutro horum jure tenen-
tur *princ. Inst. de tutel.* Tutela triplex est: Testamentaria, legi-
tima & dativa. Hæc postrema non nisi cessantibus prioribus
quidem locum habet *princ. Inst. de Attil. tutor.* & dat tutorem Magistra-
dens & pe tus, non quilibet vi Jurisdictionis suæ, sed cui nominatim à lege
cas tutor. hæc potestas tributa est, l. 6. §. 2. ff. de tutel. §. 4. l. de Attil. tue. vel ex
officio l. 6. C. qui dar. tut. vel cur. poss. l. 1. C. qui pet. tut. vel ad re-
quisitionem matris d. l. 6. C. l. 2. §. 1. ff. qui pet. tut. vel curat. eâ verò
negligente aut defunctâ, AMICI petere possunt. d. l. 2. princ. l.
44. ff. de neg. gest. Joh. Emeric. à Rosbach / pr. civ. tit. 14. num.
14. pag. (m) 126. Jacob. Cujac. 7. obs. cap. 8. imò & datos suspe-
& os postulare. d. l. 44. ff. de negot. gest.

2. Datus testamento tutor testatoris AMICUS esse præsu-
Tutor da- mitur l. 36. princ. ff. de excus. si autem ex post facto capitales
tus quâdo INIMICITIÆ exarserunt, ex tutore justam excusationis cau-
se excusa- sam præstant. §. 11. Inst. l. 6. §. 17. ff. de excusat. nisi reconciliatio in-
re posset. tervenerit d. §. 11. quia periculi plena res foret, agnos lupos, pu-
pillos patris INIMICO tuendos credere, & inhumanum esset
cogi quemquam ad defendendum eos, quos odit, quia INIMI-
CITIÆ cum parentibus in filiis continuari intelliguntur. We-
senb. in parat. ff. b. t. num. 3. ibiq. Dn. Hahn. Hugo Donell. lib. 3.
comment. cap. 9. num. 70. & seqq. & ibi Hilliger. Dicitur ex post
facto, nam, si antequàm daretur tutor extiterint, præsumitur fa-
cta reconciliatio, & propterea non poterit excusari; nisi datus sit
propter INIMICITIAS, ut intricatis tutelæ negotiis magis im-
plicaretur §. 9. Inst. d. l. 6. §. 17. ff. de excus. Vid. nov. Dn. Brunnem.
ad Lunic. Cod. si propt. inimicit. creat. fact. sic pag. 912. Quanam
sint capitales INIMICITIÆ & quomodo veteres eas professi
fuerint Vid. Gothofr. ad d. l. 6. §. 17. de excusat. & ibid. citat. Me-
nochi

noctius iudicis arbitrio relinquit *A. J. Q. cas. 110. num. 3.* Illud
etiam addi potest, quod propter litem, quam tutor cum pupillo
habet, excusari non possit, nisi fortè de omnibus, aut maximâ
parte bonorum controversia sit. *S. 4. J. l. 21. pr. ff. de excus.* Quod
quodammodo correctum est per *Nov. 72.* & hodiè propter
minimam litem, imò, qui credit se pupillum obligatum habere,
tutelam recusare potest. *d. Nov. 72. cap. 3.*

CAPUT VII.

De Dominio rerum singularium &
universalium.

Jus RE-
RUM.

Juris IN RE prima species est Dominium latè sumtum, cujus
acquirendi modus jur. civ. est (1) Usucapio, de quâ infra ubi
de possessione, agemus. (2) Donatio, Magnif. Dn. Struve
*in dicitatis privatis ad princip. Institut. de donat. (Dissent.
Dn. Hahn. ad Vvesenb. d. tit. num. 1. & seqq.)* Mortis cau-
sâ AMICOS capere posse nullus dubitat, quia legata accipere
possunt. *l. 9. ff. de mort. caus. donat. l. 10. pr. ff. de annuis legatis.* qui-
bus mortis causâ donatio adeò comparatur, ut exemplo eorum
(vide infra num. 29.) propter supervenientes inter donatorem
& donatarium graves INIMICITIAS, tacitè revocata esse præ-
sumatur *l. fin. C. de donat. m. c. Menoch. lib. 3. presump. 37. num.
16. & seqq.* Donationes inter vivos affectionis gratiâ ergâ be-
nè merentes & AMICOS, itidem non sunt prohibita. *l. 5. ff. b.
tit. & ibi Gotbofr. secus est in iis, quos propter suam nequitiam
diligimus cap. 8. distinct. 86.* In utrâque tam inter vivos quàm
m. c. donatione à parte donantis requiritur. I. Voluntas do-
nandi, vel verbis prolatis, vel epistolâ, vel facto declarata, eaque
in donationibus sponsæ factis probè attendenda, cui si vestes
pretiosæ ab AMICIS sponsi datae sint, ut magis ornata incede-
ret, commodatae potius quàm donatae videntur. *arg. l. 5. S. 10. ff.
commod. Menoch. lib. 2. A. J. Q. cas. 218.* Coeterùm in dubio
res contemplatione mariti ab AMICIS ejus aut consanguineis
uxori datae, mariti sunt, *arg. l. 10. S. 6. de vulg. & pupill. subst.* nisi
probetur donatorem aliud sensisse: (contra disputat Alciatus
reg.

1.
Donatio.
2.
mortis
causâ.
3.
inter vi-
vos.
4.
In donati-
one requi-
ritur (1.)
voluntas
donandi.
5.

6. *reg. i. presump. 18. in fine*) Intērdum 'etiam' p̄sumitur animus donandi: ut si quidam AMICITIA ductus paternā pupillis tutores petierit, aut suspectos postulaverit (*Vid. cap. p̄ced. num. 1*) & in eum finem pecunias, quæ nomine sportularum veniunt (de Berichs. Rosten) expenderit, animo donandi fecisse p̄sumitur, nec pro earum refusione actione negotiorum gestorū adversus pupillos experiri potest *per ex. in l. 44. ff. de negot. gest. Dn. Hahn. ad Wesenb. tit. de donat. num. 4. pag. (m) 608. Menoch. A. J. Q. cas. num. 59. II.*

7.
2) facultas

Facultas donandi: Quam habet quilibet, cui libera bonorum suorum administratio concessa est: Hinc regularit̄er non nisi de peculio castrensi, vel quasi, donare potest filiusfamilias; quod spectant res mobiles filiofam. ad castra eunti ab AMICIS data *l. 1. Cod. de castr. pecul. milit. & p̄fect.* nec non hæreditas ab adgnato commilitone, vel AMICO data, consideratā potiùs qualitate AMICITIÆ ex militiā auctæ quam adgnationis, si modò testamentum tempore commilitii, non ante factum sit *l. 19. princ. ff. de castr. pecul. & de his omnibus libera filiofam. disponendi facultas competit, Andr. Tiraq. tract. de p̄n. caus. 22. num. 12. pag. (m) 78.*

8.
de infinu-
atione do-
nationis.

8. cā quia donatio absque insinuatione non est penitus INIMICA legibus, nec perpetuam habet prohibitionem §. 2. *Inst. de donat. Gail. 2. O. 39. num. 24.* ideòque eam in donatione in AMICOS collatā tutò omitti posse, poterat videri, cessant enim in hęc causæ prohibitionis, & cessante ratione legis, cessat & lex; Sed movet

9. in contrarium (1) quod *in l. 27. Cod. b. r. ne parentes quidem & liberi à necessitate insinuandi excipiantur, utut aliàs circà donationes valdè privilegiati, Cùm D. Pius mancipandi necessitatem iis remiserit l. 4. §. 7. Cod. Theod. de donat. Vid. Cujac. 20. O. 2.*

10. (2) Quia *l. 34. pr. C. eod.* generalit̄er in omnibus donationibus requirit insinuationem. Denique (3) quia vera insinuandi ratio non solùm est suspicio fraudis, sed &, ut immodicæ donationes, quæ nusquàm magis, quàm inter AMICOS frequentes sunt, coetceantur *Vid. Dn. Brunnem. ad d. l. 27.*

11. Dominium minus plenum habet vasallus in re feudali, quam irrequisito domini consensu alienare neutiquam potest: Si autem vasallus eā lege investitus sit, ut feudum sit hereditarium

rium II. Feud. 48. vid. Besold. Thesaur. pract. in verb. Erblehen. aut plenū est aliās post investituram generalem super alienatione consensum vel minū impetraverit; in quemcunq̄ue aut quocunq̄ue modō facta alienatio, licita est, modō non in INIMICUM domini aut aliās inhabilem transferatur Dn. Schnob. *disf. Feud. IX. tb. 18. ibiq̄, citatus Rosenthal cap. 9. concl. 33. & 34.* Deindē feudum à fidelitate vel fide dici tx. est II. Feud. 3. in fin. si contra venerit vasallus, & infidus gravibus INIMICITIS insidiisque dominum persecutus fuerit II. Feud. 24. §. 2. vers. porrò aut INIMICIS ejus AMICITIAS suas copulaverit, feudo, quo se indignum monstravit, meritò carere debet, II. F. 57. Menoch. *de presump. lib. 5. presump. 43. num. 16.* imò si in cucurbitatione, prælio, aut aliās quavis ratione se INIMICUM potius, quàm fidelem significaverit, feudo rectè privatur, *d. lib. 2. Feud. tit. 57. Magnif. Dn. Struve / in Syntagm. jur. Feud. cap. 15. apb. 9. num. 3. pag. 564. Dn. Schnob. Disf. Feud. X. tb. 10. Limn. de jure publ. lib. 3. cap. 2. num. 25. pag. 17.*

Dominium universale est hæreditatis; Eaque nobis ex testamento defertur. Testatoris voluntas libera esse debet, blando tamen & AMICO sermone aliquem commovere, ut nobis testamento aliquid relinquat, non prohibemur, *l. fin. C. si quis aliq. test. prohib. ubi Gothofr. lit. f.* Quibusdam personis secundum ipsam naturam jus hæreditarium competit: ut sunt liberi & parentes. *Nov. 1. præfat. §. ult. (quanquam alii liberis solum lege naturali, parentibus v. lege civili hæreditatem deberi putent. Mercur. Merlin. tr. de legit. lib. 1. tit. 3. q. 4. Alciat. reg. 1. presump. 8.)* Hæc ratio naturalis tamen non totam hæreditatem parentum liberis, nec vicissim liberorum parentibus, relinquendam esse decernit; sed indefinitè commodum successionis tribuit: quantitatem autem seu portionem jus civile determinat & vocatur *legitima*: à quâ nec parentum judicio liberi, nec liberorum parentes summoventi, nisi meritis de causis, possunt. *d. l. 7. de bon. damnat. Magnif. Dn. Struve / Exer. 10. tb. 10. §. 8.* Sic, si mater (*sunt verba Const. Imp. in l. 28. Cod. de inoff. testam.*) inhonestis factis atq̄ue indecentibus machinationibus filium fortè obsedit, insidiisque eum vel clandestinis vel manifestis appetiit,

C

12.

13.

14.

Hæreditas testamēto defertur (1) descendētib; & ascēdētib.

15.

16.

17.



petiit, vel I N I M I C I s ejus suas AMICITIAS copulavit, atque in aliis sic versata est, ut I N I M I C A ejus potius, quam mater esse crederetur; hoc probat, etiam invita, acquiescat filii voluntati, i. e. nullatenus testamentum filii querelâ inofficiosi impugnet.

18 Idem etiam juris est in filio, qui si eodem modo cum I N I M I C I S parentis AMICITIAS suas copulaverit, ab omni successione non immeritò excluditur. *arg. d. l. 28. C. d. l. 15. pr. in verb. non minus parentibus quam liberis pie relinqui potest. ff. de inoff. testam. arg. Nov. 115. c. 3. §. 7.* ubi delatores s. calumniatores parentum, quales sine dubio ob conversationem cum eorum I N I M I C I S fiunt, licitè exheredari dicuntur. Jam verò pares atque majores causæ expressis admittuntur, & quod summus affectus parentibus prohibet in liberos statuere, hoc multò magis liberis vetat adversus parentes tentare. Add. Dn. Brunnem. *ad d. l. 28. Cod. de inoff. testam. pag. 192. ibiq. citati. l. 47. ff. de R. J.*

20 Non stantibus descendantibus aut ascendentibus, frater
(2.) colla. fratris aut sororis germanæ testamentum inofficiosum dicere
veralibus. potest: Sed solùm eo casu, quando turpis persona instituta est
§. 1. *Inst. de inoff. testam. l. 21. l. 27. Cod. eod.* Mercurial. Merlin.
d. loc. tit. 2. q. 13. num. 1. qui hoc ibidem *num. 39.* ad AMICOS sin-
gulares seu fratres adscititios & juratos extendit, ut & Tiraq.
d. or. de pœn. caus. 22. pag. 82. Sed minùs rectè. Non enim AMI-
CITIA aut jurata fraternitas confert jus sanguinis. Vid. Ma-
gnif. Dn. Struve *d. Ex. 10. th. 11. Gail. 2. de pac. publ. cap. 10. n. 28.*
21 ubi in praxi id minimè observari tradit. *Nec obstat l. 58. §. 1.*
ff. de hered. instituend. hoc enim saltèm vult Paulus, instituti-
onem extranei factam sub appellatione fratris, per falsam hanc
demonstrationem non vitiari, non verò quòd per omnia fratrum
jure uti queat. Prolixè hanc rem tractat Menoch. *lib. 4. præ-
sumpt. 89. num. 66. & seqq.*

22 AMICI testatoris testes esse possunt in testamento, quia
quinã te- nulla in eos falsitatis cadit suspicio, nec non legatarii, §. 11. *f. de*
stes esse *testam. ord. l. 14. de reb. dub. l. 22. ibiq. Gothofr. Cod. de testam. l. 39. §.*
possint in *1. de leg. 3.* ubi AMICI testatoris dicuntur, Magnif. Dn. Struve
testam. Ex. 32 th. 13. num. 2. Dn. Hahn. *ad Wesenb. tit. qui testam. fac. poss.*
num. 11.

num. 11. negotium enim inter testatorem & heredem geritur, non etiam legatarios. Adde Cujac. 9. O. 37. in f.

Frater à fratre commilitone in castris hæres institutus, hæreditatem sibi, non patri, in cuius potestate est, acquirit; siquidem commilitii ejus observandorumque munerum consortium affectioni fraternæ non nihil addidisse, quinimò vice mutuâ chariores invicem sibi eos reddidisse creditur, ut potiùs occasione AMICITIÆ militaris quàm fraternæ, hereditas acquisita, censeatur l. 4. C. de castr. pecul. ad eamque noviss. Dn. Brunnem. pag. 996. l. 19. pr. ff. eod.

Substituere potest paterfam: liberis suis impuberibus legitimis & adoptivis, tum in bonis à se profectis, tum in aliunde quæsitis, fortè ex hereditatibus, legatisvè aut donationibus propinquorum atque AMICORUM obvenientibus §. 4. f. de pupill. subst. l. 10. §. 5. ff. eod. Non idem obtinet in adrogato impubere, cui non nisi in bonis, quæ beneficio adrogatoris, ut putà ab adrogatore aut AMICIS ejus & cognatis ipsi relicta sunt, substitui potest, d. l. 10. §. 6. de vulg. & pupill. subst. non item in illis, quæ si adrogatus non esset, haberet, Conf. Magnif. Dn. Struve/ Exerc. 33. th. 11. & 25.

Nunc de legatis quædam lubet subnectere; Et regularitèr quicquid ab extraneo in ultimâ voluntate Episcopo aut Prælato legatur, illud intuitu ecclesiæ relictum creditur, quæ indè canonicam portionem petere potest: Si verò ab AMICO aut propinquo quidpiam relinquatur, intuitu personæ relictum esse præsumitur, & de illo ecclesia nihil sibi vindicare poterit, Innocent. Papa in cap. requisisti. 15. extr. de testam. & vult. volunt. (nisi aliud voluisse testator probetur) sed quod exindè voluerit facere, ipsius Episcopi aut prælati subjacebit arbitrio, non enim in rebus ecclesiæ numeratur, quod ex AMICITIA aut alio quocunque modò meruerit percipere. ix. ad hoc elegans est in c. quicumq; XII. q. 3. Vide sis prolixius hâc de re differentem Alciat. reg. 1. præsumpt. 28. & 29. Res aliena si scienter legata, ab herede redimenda & præstanda est, §. 4. l. de legat. si ignorantèr; non nisi sit conjuncta persona, aut AMICUS singularis, cui non minus, & si scisset testator rem alienam esse, legasset arg. l. 10. C. b. tit.

b. tit. in verb. vel alii tali persone, ubi Dd. communiter: & interpretanda est defuncti voluntas potius ut valeat, quam pareat.
28 Schneid. *ad princ. Inst. d. tit. num. 11.* Item, si indefinita quædam quantitas relicta sit, consuetudo, religio & AMICITIA in, quâ testator cum legatario versatus est, exquirenda est, & pro earum qualitate, rei legatæ quantitas est determinanda *l. 50 §. ult. de leg. 1.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 28.*

29
ademptio
legatorū. Adimuntur legata vel expressè vel tacitè: Et si quidem inter testatorem & legatarium capitales INIMICITIÆ interceserint, tacitè legatum ademptum videtur. *l. 3. in f. ff. de adim. & transf. legat.* quòd, si iterum in AMICITIAM redierunt, & pœnituit testatorem prioris offensæ, legatum relictum redintegratur; ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremum vitæ exitum *tx. in l. 4. ff. d. tit. add. l. 22. eod. l. 9. ff. de his q. ut indign.* Idem juris est in fideicommissis *dd. txx.* Vid. Andr. Gerhard. *Dissert. de jure testam. Rom. VI. in fine,* & Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 170. per tot.*

30
Codicilli. AMICIS, quibus per tabulas testamenti directò hereditas dari nequit, Codicillis, tanquàm fideicommissum, jure relinquitur. *§. 2. 7. de codicill.* Affinis hisce codicillis est epistola fideicommissaria ad AMICUM scripta, de quâ Vid. Magnif. Dn. Struve *Ex. 34. tb. 68. & txx. ibidem citat.*

CAPUT IIX.

De jure pignoris & possessionis.

1.
Pignus. ALTERAM juris IN RE speciem constituit Pignus: vel *expressum* vel *tacitum*. Tacitum pignus s. hypotheca tacita pupillo in bonis administratorum, etiam qui ex officio AMICITIÆ administrarunt, lege tribuitur. *l. 20. C. de admin. tut. l. 23. ff. de reb. aut. jud. possid. l. 19. eod.*

2.
possessio Tertiam Possessio: vel *vera* vel *quasi*: Verè possidentur res corporales, mobiles ac immobiles *l. 3. pr. de acquir. vel amit. poss. Analogicè verò s. qs. possidentur res incorporales, ut putà jura & servitutes, quas usu & facultate utendi possidemus. l. fin.*

3. *ff. de servit. l. 4. §. 27. ff. de usucap.* Acquiritur possessio, renuente
co,

eo, qui verè possidet, aut saltèm se possidere allegat, vel publicâ *que confi-*
 vel privatâ auctoritate. Publicâ, si autore Pratore posside- *deratur*
 mus, quod fit, quando creditor ex secundô decreto in bona de- *(1) ut adi-*
 bitoris mittitur *l. 11. ff. d. acq. poss. tx. in l. 15. §. 16. ff. de damn. in-*
fect. Et prærequiritur ad missionem, ut reus debitor vel con- *4.*
 tumaciæ vel fraudationis causâ latitet, vel absens non defendatur *l. 2. §. passim ff. quib. ex caus. in poss. eat.* Pro absente habetur *5.*
 pupillus, quamvis præsens, qui tutorem non habet *l. 10. eod.* hic, si
 ex aditâ hereditate legata, aut aliud quidpiam, creditoribus he-
 reditariis debeat, iudex non nisi priùs requisitis cognatis, & AMI-
 CIS ejus, qui propter necessitudinem aut caritatem, defensio-
 nem non sunt intermissuri, missionem in bona ejus decernit;
 factâ autem missione, si adhuc cœperit defendi, missus desinit *6.*
 possidere *l. 5. §. 1. §. 2. ff. d. tit. Conf. Gail. 2. O. 130.* Vice versâ
 tutor propriâ auctoritate pupillo competentem bonorum hære-
 ditariorum possessionem, *expressè & voluntate positivâ,* repudia-
 re non potest *l. 8. ff. de bon. possess. nisi consentientibus AMICIS*
& iudice arg. l. 35. C. de transact. l. 5. §. 8. ff. de reb. eor. qui sub tut.
§. c. Negativè v. §. tacitè, potest, si patiatur tempora bonorum *7.*
 possessioni præstituta præterlabi; sed tunc pupillus habet regres-
 sum ad tutorem; Et itâ utique voluntas tutoris in repudianda
 hereditate spectatur, scil. ut, nisi is expressè agnoscat, tacitè re-
 pudiasse credatur, & negligentia sua præstet id, quod explicatâ
 voluntate non possit; & sic intelligenda est *l. 11. ff. de autor. tut.*
Vid. Petr. de Greve Exercit. ad pandectarum loca difficiliora 22.
num. 26. pag. 526. Privatâ auctoritate possidet, qui rem ani- *8.*
 mo domini s. sibi habendi tener: Hinc qui jure familiaritatis
 AMICI fundum ingreditur, non videtur possidere, quia non eo
 animo ingressus est, ut possideat, licet corpore in fundo sit, *tx. in*
l. 41. de acq. vel amit. poss. Eodem modô, qui in rebus incorpo- *9.*
 ralibus, juribus aut servitutibus non ad se, sed ad alium spectan-
 tibus, AMICITIAE causâ actus possessorios exercet, frustra se
 qs. possidere prætendit *l. ult. ff. quemad. servitut. amit. nec ulla*
 contrâ dominum, ob defectum tituli, currit præscriptio, nisi
 postmodum ex aliâ causâ possidere cœperit, vel non familiarita-
 tis s. AMICITIAE, sed proprio jure se possedisse probaverit

d. l. ult. Vid. Hubert. Giph. Lectur. Altorph. ad d. l. 41. de acq. poss. pag. 513. Cœterùm ut præscribatur jus aut servitus, requiritur scientia ejus, contra quem præscriptio currit *l. 2. C. de servit. ne autem clàm possidere quisquam videatur, domino, aut eo absente AMICUS aut procuratori denunciare potest l. 5. §. 2. ff. quod vi aut clàm.*

II. (2) ut retinenda. Adquisitam possessionem conservamus, quando vel ipsimet animo & corpore possessioni incumbimus, *l. 19. §. 1. ff. b. vel nos animum possidendi habemus, & alius (sive subjecta persona sit, ut servus l. 31. §. 2. §. 3. ff. de usucap. sive libera, quemadmodum sunt colonus, hospes, AMICUS, procurator &c.) nostro nomine possidet §. 5. 7. de interd. l. 9. ff. de acq. poss. Oldendorp. de act. clas. 2. pag. 130. §. 10.*

12. (3) ut recuperanda. Ita domino peregrè profectò, si AMICUS aut alius, qui ejus nomine possidet, aut fortè per vim quolibet modò de possessione dejectus sit, citrà speciale domini mandatum contra dejicientem interdictum *unde vi* intendere potest, quod si negligat AMICUS, domino quolibet tempore, etiam post spatia recuperandæ possessionis legibus præstituta, reversa, actio recuperandæ possessionis indulgetur. *l. 1. C. si per vim vel alio modo absent. poss. turb. sit. Menoch. recup. poss. remed. 6. per tot.*

CAPUT IX.

De obligationibus in genere, & in specie de contractibus qui re & verbis ineuntur.

Obligatio. SEquitur jus AD REM actionem personalem producens cujus nomine venit obligatio: quæ vel *naturalis* est, vel *civilis*.

I. Naturalis (*prout distinguit Magnif. Dn. Struve Exercit. 6. th. 11.*) alia *minus plena* est, quæ non ex facto aliquo expressè ad obligationem tendente oritur, sed à nudâ gratitudine ob beneficium acceptum dependet; ità civis civi, AMICUS AMICO benè merenti, ad ea quæ sine incommodo suo præstare potest, obligatur, *l. 25. §. 11. ff. de petit. hered. Hubert. Giph. lectur. Altorph. ad l. 14. de O. §. A. num. 10. pag. 570.* Alia *plena*, quæ naturæ & æquitatis vinculum est, quo ipsâ naturâ ad aliquid præstandum ad-

2. strin-

stringimur l. 95. §. 4. de solutionib. Huic, si accedat juris civilis confirmatio, civilis quoque efficitur §. 1. Inst. de fideic. Et regularitèr notandum, quò in omni obligatione quoquò modò contractà præsentiā AMICORUM metus, doli & læsionis præsumptionem excludit l. 35. C. de transact. & ad eam Magnif. Dn. Richter num. 4. 10. & seqq. pag. 238. Dn. Brunnem. pag. 92. Rosbach pr. civ. tit. 14. num. 19. Gail. 2. O. 125. num. 5. Menoch. lib. 3. præsumpt. 128. Alciatus reg. 1. præsumpt. 21. An autem præsumptio doli quæ adversùs tutores aut curatores in certis casibus à lege inducitur l. 1. C. si tut. vel cur. interv. per præsentiā AMICORUM elidatur, arbitrio judicis relinquimus, qui ex circumstantiis & argumentis extrinsecùs accedentibus judicabit. Alciat ad d. l. 35. C. de transact.

Transigere possunt tutores aut curatores super rebus pupillorum minoremve, si de justitiâ eorum dubitatur, tam immobilibus quàm mobilibus l. 54. §. fin. l. 56. §. 4. ff. de furt. Gail. 2. O. 72. si tamen minor se enormitèr læsum esse probaverit, quantumvis AMICORUM consensus aut decretum judicis intervenerit, nihilominus restitutio in integrum datur. tot. tit. Cod. si tut. vel cur. interv. Hillig. in Donell. enucl. lib. 21. cap. 11. lit. H. in not. Mauritius tr. de restitut. in integr. cap. 145. Sfort. Odd. q. 22. art. 6. & 7. Cœterùm quemcunq̃ue, qui aliàs jure non prohibetur, de re incertâ transigere posse, nemo sanus dubitat; Sed ane & AMICORUM interventu de re certâ & liquidâ? Negat Magnif. D. Richter ad l. 12. C. de transact. num. 12. pag. 77. ubi rationes dubitandi & decidendi.

Mutuum, quod suâ naturâ gratuitum, & ex officio AMICITIE est l. 121. de V. S.) contrahere possunt, qui liberam rerum suarum administrationem habent. §. 2. §. quib. al. lic. vel non. Quare pupillus aut minor non nisi interpositâ tutoris aut curatoris auctoritate, rectè contrahit l. 19. §. 1. de reb. cred. l. 9. pr. & passim ff. de auctor. tut. iis verò deficientibus, si AMICORUM interventu contractus mutui celebratur, valet, ut ex dictis supra n. 3. colligi potest arg. d. l. 35. C. de transact. Accipimus mutuam pecuniam vel ipsimet, vel alius nostro nomine: Ita si AMICUS negotiationi AMICI præpositus sit, aut ex mandato, aut ex tacitâ

l. præ-

s. præsumptâ ejus voluntate accipit, & utroque casu, modò in eam causam in quâ præpositus est, acceperit, sive in rem, versa sit pecunia sive non, is qui præposuit, actione negotiorum gestorum à creditore convenitur. *l. 31. pr. ff. de negot. gest.* Dn. Brunnem. *ad l. 1. C. de institut. & exercit. act.* Gail. 2. O. 21. n. 7. Alciat. *ad l. 29. ff. de reb. cred. Except. est in casu l. 7. §. 1. C. quodcum eo qui in al. pot. est & c.*

9.
(2) Com-
modatū.
- 10.
- 11.
12.
(3) Depo-
situm.
- Commodatum est contractus, quo alter alteri rem certâ & præscriptâ modò, gratis & ex officio FAMILIARITATIS magis quàm necessitate, utendam tradit §. 2. *J. quib. mod. re contr. obl. l. 17. §. 3. ff. commod.* & differt à mutuò, quod in rebus fungibilibus, quæ usu consumuntur, consistit; commodatum verò in iis, quæ salvâ substantiâ usum suum habent, & in specie restituendæ sunt. Qui re commodatâ ultrâ præscriptum modum & terminum utitur, usûs ejus furtum committit, nisi voluntate domini id fieri credat, §. 7. *J. de obl. q. ex delict. nasc. l. 5. §. 8. ff. commod. l. 46. §. 7. l. 76. pr. de furt. l. 16. de cond. furt.* Si verò in casu dubio non constet de animo & voluntate domini, ex comm. Dd. opinione, contrâ utentem præsumtio juris est, Schneidew. *ad d. §. 7. de obl. q. ex del. nas.* secus est, si commodantem commodatarii AMICUM esse appareat, ita ut verisimile sit, hunc justè credere potuisse, commodantem ulteriorem rei commodatæ usum concessurum, Schneid. *d. l. num. 2.* Menoch. *A. J. Q. cas. 298.* Proindè, quia ordinariè tantùm ejus, qui commodatò rogat, est, utilitas, culpam levissimam præstare commodatarius tenetur; *d. §. 2. q. m. re contr. obl.* Si verò utriusque & commodantis & commodatarii interest (*veluti si Titius & Sempronius communem AMICUM ad cœnam invitaverint, & ejus rei curam Titius susceperit, Sempronius verò aureos scyphos commodaverit*) dolum & levem saltèm culpam, *l. 18. pr. vers. at si utriusq. ff. commod. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. Bocer. clas. 2. disp. 9. num. 14.*
- Depositum itidem ex AMICITIA, est contractus, quo res itâ traditur ac fidei AMICI committitur, ut eam gratis custodiat & asservet §. 3. *J. quib. m. re contr. oblig. l. 1. §. 8. & 9. ff. depos. l. 1. §. 5. ff. de O. A.* Et quia natura depositi potissimùm in depositarii fide consistit, imò nullum ejus in deposito commodum est, doli sal-

saltem & culpæ latæ nomine tenetur l. 1. §. fin. ff. depos. turpe ad-
 modum est hîc fidem fallere, quam deponens elegit, & pro
 AMICITIA quasi INIMICITIAS reddere Dn. Hahn. ad Wesenb.
 h. tit. num. 2. non etiam desidiæ ac negligentia, quia qui negli-
 genti AMICO rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati
 id imputare debet, d. §. 3. f. quib. m. re contr. obl. ubi Vinn. Dn.
 Marqv. d. tract. de comm. lib. 2. cap. 9. num. 31. pag. 281. Menoch.
 A. J. Q. cas. 208. num. 28. Species depositi est sequestratio, 13
 quando res litigiosa, sive mobilis sit, sive immobilis, communi Sequestra
 AMICO custodienda traditur, eâ lege, ut finitâ lite, victori red- tio.
 datur. l. 17. ff. d. tit.

Julianus in l. 27. ff. de oper. libert. Sic ait: Si libertus artem 14
 pantomimi exerceat, verum est, debere eum non solum ipsi Patrono, VERBIS
 sed etiam amicorum ludis gratuitam operam præbere: Sicut eum CONTRA-
 quoq; libertum, qui medicinam exercet, verum est voluntate Patro- bitur.
 ni curaturum gratis amicos ejus &c. ex hoc tx. arguere quidam stipula-
 conantur, quod AMICUS AMICO, cujus juri subjectus non est, in tio.
 effectu stipulari possit; Ratio illorum est, quia libertus ex con-
 jecturatâ s. præsumptâ Patroni voluntate AMICIS ad operam ob-
 ligatur; Ergò multò magis ex stipulatione AMICO expressè
 factâ. Nos negantibus ad stipulamur per S. 4. f. de inut. stipul.
 §. l. 38. §. 17. ff. de verb. obl. Conf. Dn. Carpz. part. 2. const. 33. def. 15
 26. §. 27. Si AMICUM defendens in judicio (vid. cap. ult. num. 31.)
 judicatum solvi stipuletur, ea, non nisi AMICI, pro quo interpo-
 sita est stipulatio, mandatum aut rati habitio subsequatur, valet,
 arg. l. 3. §. 2. §. 3. ff. judic. solvi.

CAPUT X.

De consensualibus & quasi contractibus.

PRIMA contractuum consensualium species est emtio ven- 1.
 ditio: Cui inter alia adjicitur pactum de retrahendo s. re- CONSEN-
 vocando rem emtam, vocaturque jus RETRACTUS Germ. su perfi-
 Nähergeltung oder Einstands-Recht/ quod, quanquam jure Co- citur (1.)
 dicis in l. dudum 14. C. de contrah. emt. prohibitum fuit, non emtio
 minus tamen ex generali quâdam & rationabili consuetudi- venditio
 D ne

- ne Germaniæ introductum esse, & ubique ferè locorum obtine-
re restatur Gail. 2. O. 19. num. 1. præsertim, cum tam jure divino
Levit. 25. vers. 25. Ruth. 4. vers. 3. quam Canonico cap. constitu-
tus VIII. extr. de integr. restit. receptum sit: Et quoniam ratio
s. causa consuetudinis in jure retractus potissima est bonorum
in familiâ conservatio, agnatis solum & cognatis proximiori-
bus competit; his verò non extantibus, solo jure vicinitatis &
AMICITIÆ vicino competere volunt Tiraq. in præf. tractatus sui
de jure protimiseos num. 13. & Gail. d. O. 19. num. 2. Verùm ali-
am quandam causam, (v. g. si aedes sint contiguae s. uno tecto unite
& unum respiciunt dominum, vel si periculum ignis metuatur) aut po-
liticam rationem cum vicinitate & AMICITIA concurrere oportet:
Quemadmodum ab Amplissimâ Facultate Juridicâ, hæc
loci ad requisitionem Christophori Zaltischen / civis Jenensis
Mense Martio Anno 1629. responsum refert Magnif. Dn. Richter /
part. 2. decis. 76. num. 71. Imman. Sutor. tract. de jure re-
tract. cap. 5. th. 90. pag. 70. Plurimum hæc consuetudini sive
statutis municipalibus tribuitur Magnif. Dn. Struve / Ex. 23. th.
54. Confer. Dn. Carpov. part. 2. const. 32. per tot.

5. Altera species est locatio conductio: in quam præter
res etiam veniunt operæ s. facta aliàs locari solita, non verò ea,
2) locatio quando negotia AMICI quæ talis gero, quæ gratuita sunt & ex of-
cōductio. ficio AMICITIÆ profecta l. 22. ff. de præscript. verb. l. 44. ff. de ne-
got. gest. Merces locationis conductionis, quemadmodum in
6. emtione venditione pretium, §. 1. Inst. l. fin. C. de contrab. emt. in
arbitrium tertii s. communis AMICI conferri omninò potest.
§. 2. 7. de locat. cond. qui, si definierit, standum est contractui l. 25. ff.
locat. cond. nisi fortè alteri parti AMICIOR factus sit, & merces de-
7. finita summam sapiat iniquitatem, & tunc ad arbitrium boni vi-
ri reducitur l. 76. ff. pro soc. Ante finitum tempus locationis
conductorem v. g. è domo conductâ, locator, nisi certis quibus-
dam casibus in l. 3. C. locati expressis, expellere non potest, qualis
est, si suis suorumve, i. e. uxoris & liberorum usibus eam neces-
sariam esse probaverit d. l. 3. ubi Gothofr. quod ad AMICOS &
8. personas gradu remotiores inconcinnè extenditur. Cœterum
conductor re conductâ ut bonum patremfam. decet, uti, & da-
mnum

num dolo ejus & levi culpa datum, resarcire debet, l. 5. §. 2. ff. commod. culpæ autem ipsius & illud adnumeratur, si propter INIMICITIAS ejus vicinus in fundo conducto arbores exciderit d. l. 25. §. 4. ff. locati.

Tertia species est SOCIETAS: quæ etiam quodammodo jus FRATERNITATIS in se habet l. 63. pr. ff. pro soc. cujus partes damni scil. & lucri, ut itidem communis AMICUS constitueret, societatem ineuntes convenire possunt l. 75. & 76. b. t. Quid si iniquas partes constituerit, an ex iisdem socii erunt? Et Respond. negando, sed ad arbitrium boni viri redigi debet, quamvis ita in AMICUM compromississent, ut, quocunque modo, sive æquè sive iniquè constitutum, stare vellent, eo magis, quòd judicium pro socio b. fidei est d. l. 76. & 78. eod.

Quarta & ultima species contractuum cõsensualiũ est mandatũ: quod suã naturã gratuitum est. Nam originem ex officio atque AMICITIA trahit, & quod quis ex AMICITIA fecerit, ejus nomine mercedem jure non postulabit, quòd si de facto contraria officio merces intervenerit, mandatũ in alienam negotii formam, cadit §. 13. Inst. & l. 1. §. 4. ff. mand. l. 22. de P. V. add. Wesenb. in parat. hic num. 3. & 4. Oldend. de act. clas. 4. act. 24. pag. 568. Contrahitur mandatũ non solũ inter præsentes, verũ etiam inter absentes per epistolam aut nuncium tit. Instit. de obl. ex cons. qui verò literas commendatitias ad AMICUM scribit, mandare non intelligitur l. 11. §. 2. ff. de leg. 3. l. fin. C. quod cum eo, qui in al. pot. & c. E. g. Si quis studioso in Academiis migranti talem epistolam dedisset, ad AMICUM in Academiã degentem, hoc modo: *Rogo te, commendatum habeas Titium* (Studiosum nempe) *amicum meum*: non obligabitur mandati, quia commendandi magis hominis, quàm mandandi causã scripta est, tx. est in l. 12. §. 12. ff. mand. nec verb. commendandi, cum ad personam refertur; obligationem inducit: secus est si ad rem l. 24. ff. depos. Sicut autem liberum est mandatũ non suscipere, ita susceptum cõsummari oportet, nisi renuntiatũ sit, l. 22. §. ult. ff. mand. l. 27. §. 2. eod. Renuntiari mandato potest, re s. causã adhuc integrã, propter intervenientes capitales INIMICITIAS l. 23. b. tit. l. 21. ff. de procur.

9.
(3) Socie-
tas.

10.
(4) man-
datum.

11

12

*procur. Rurg. Ruland. de interrog. lib. 4. cap. ii. num. 43. pag. (m)
247. plura vide infra cap. ult. n. 28.*

- 13 Ex QVASI contractu obligatur negotiorum gestor (*adde
contra. ob- que supra cap. i. num. 5. dicta sunt*) ad hoc, ut negotium absentis
lig. (1) ne- susceptum ritè exsequatur, teneturque actione negotiorum gest.
gotiorū directâ; Sed quid juris est, si quædam gessit, quædam non, an eti-
gestor. am propter ea, quæ prætermisit, conveniendus est? Et distin-
gvimus: utrum in principio ex beneficio s. AMICITIA & nudâ vo-
luntate ad gestionem accessit, & alius fortè commodius ad-
ministraturus, contemplatione gerentis ab administratione ab-
stinuit: tunc affirmatur *per l. 6. §. ult. ff. de negot. gest. l. 17. §. 3. ff.
commod. tum enim major diligentia in gerente requiritur.*
- 14 An verò ex necessitate quasi, cum res administranda ruinam,
minabatur, & nullus fuit, qui diligentior administraturus
erat: Et negatur. Quia satis abundèque sufficit si cui vel in
paucis AMICI labore consulatur *l. 20. Cod. b. tit. l. 39. §. 2. ff. de ad-
min. tutor. & conducibilius est quasdam solùm res conservari,
quàm omnes perire Conf. Anton. Faber in ration. ad d. l. 6. §. ult.
ff. de negot. gest. Add. Magnif. Dn. Richter, Reg. 92 per tot. pag. 261.*
- 15 Vicissim etiam dominus gestori AMICO ad omne illud, quicquid
ei hoc nomine, quod gessit alienum negotium, vel abest, vel ab-
futurum est, refundèdum, actione negot. gestor. contrariâ tene-
tur *§. 1. 7. de obt. q. ex qs. contr. nasc. l. 2. in fin. & passim ff. de negot.
gest.*
- 16 Sic, si quidam contemplatione patris aut domini, filii-
fam: aut servi negotia peculiaria gesserit, adversus patrem vel
dominum in solidum dandam esse actionem Labeo distingvit;
siquidè ex AMICITIA filii aut servi vel eorum contemplatione, de
peculio duntaxat. *ix. est in l. 6. §. 6. ff. eod.* Si verò parentis præ-
defuncti AMICITIA ductus quid gesserit, nullam adversus pupil-
lum actionem habet *l. 44. ff. eod. Add. casus l. 31. §. 2. ff. eod.*
- 17 Item ex quasi contractu obligantur nautæ caupones & sta-
bularii, ut res receptas salvas restituant *tot. tit. ff. nautæ caup stab.*
(2) nautæ Nauta tamen si quas merces ex AMICITIA sine naulo vehit, eas
caup. & tempore periculi s. metu futuri naufragii secundum statuta,
stabularii Prussica *lib. 4. Tit. 19. art. 2. & 3. impunè projicit, Dn. Marqv. d.
tract. de commerc. lib. 3. cap. 4. num. 31. in fine. Non obst. l. 3. §. 1. l. 6.
pr. ff.*

pr. ff. nauta caup. stab. &c. Dum enim alicubi eiusmodi statuta vigent, nemo eorum ignarus esse praesumitur aut permittitur: quod si itaque iis non attentis nihilominus merces suas ex AMICITIA transvehendas immittit, transigere cum Exercitore super periculo videtur, idque in se recipere. Eo ergo postmodum contingente, imputet sibi quod pro exiguo nauli lucro mercium periculum facere maluerit. Deinde quoniam statuta strictae sunt interpretationis, apparet de solo jactu exaudiendum: textus vero Juris civilis de actionibus praetoriis ob damnum vel furtum non negandis, quas tamen nec statutum illud negat.

18.

Denique ex quasi contractu tutores, qui tutelae judicio tenentur, obligati esse intelliguntur, qualitercunque etiam dati § 2. *J. de obl. q. quasi ex contr. nasc.* multo magis qui ex officio AMICITIAE administravit *l. 23. ff. de reb. aut jud. possid.*

3) tutores

Omni obligationi accedere potest fidejussor § 1. *Instit. de fidejuss.* qui tamen, si inter eum & debitorem capitales INIMICITIAE exortae sint, ad liberationem agere potest *arg. l. 23. ff. Mand. Hillig. ad Donell. lib. 13. cap. 13. lit. E.*

19

Fidejussor

CAPUT XI.

De delictis veris & quasi.

NON solum contractus, sed & delicta actionem producunt, quorum primo loco se offert furtum: quod facit non solum qui intercipiendi causa rem alienam amovet; sed etiam qui quasi AMICOS ad coenam invitaturus argentum utendum accipit, & id peregre secum, aut aliam quamcunque rem, in alium usum, quam cum cujus gratia ei data est, transfert, si id invito domino fiat, furtum committit § 6. *& seqq. J. de obl. q. ex del. nasc.* (*adde quae supra cap. 10. num. 10.*) Et singulariter hic notandum est, quod, si quis rem furtivam, quamvis sciens, ab AMICO fure recipiat, eamque celet, poenam receptorum ordinariam non punitur, quia non tam dolo, quam amoris & affectionis vivit, id fecisse intelligitur; imo etiam lex naturae hoc dicit, ut AMICUS AMICUM, sicubi potest, juvet ac defendat. Nec hoc solum, sed & si ipse fur ad AMICUM praesidii causa, ut ibidem latitaret, sese reciperet, AMICUS eum indicare non tenetur, cum

1.

VERA delicta sunt
(1) furtum.

2.

3.

D 3

alias

- aliàs stricto jure & qui recipit celatque furem, actione furti teneatur *l. 48. §. 1. ff. § cap. qui cum fure 4. extr. de furt.* Magnif. Dn. Struve/*Ex. 48. tb. 103. Damhoud. pr. rer. crim. cap. 116. num. 4. & 5.* Intelligenda tamen, quæ dicta, sunt, de eo, qui de furto non participat. Ità quoque mitigatur poena eorum, qui ob singularis
4. AMICITIÆ vinculum, AMICUM bannitum receperunt Gail. *lib. 2. de p. p. cap. 10. num. 27.* quem aliàs in clientelam, fidem & AMICITIAM recipere illicitum est, Magnif. Dn. Struve *Tract. de vind. priv. cap. 3. apb. 7. num. 1.*
5. Injuria vel *realis* est, quæ factò aliquò ad probri & turpitudinis notam comparatò, committitur, ut quandò manus inferuntur, aut quis vi domum alterius introierit *§. 8. f. l. 1. §. 1 ff. de injur.* nec refert, an domus propria sit, an conducta, aut gratis s. ex
- (2)injuria 6. AMICITIA habitatio concessa *d. §. 8. l. 5. §. 2. eod.* Vel *verbalis*, quandò absque manùs illatione convicium fit *d. l. 1. §. 1.* aut verbis ore prolatis, aut scriptis. Et requiritur, ut adsit animus injuriandi, *l. 3. §. 3. ff. b. qui in injuriante*, qui doli capax est, semper præsumitur, *l. 5. C. eod.* modò non sit conjuncta persona, aut AMICUS singularis, qui sivè percusserit, sivè injuriosum quid dixerit, per jocum *d. l. 3. §. 3.* aut castigandi s. corrigendi potiùs, quàm injuriandi animo, fecisse intelligitur *ix. illud Plaut. amicum castigare ob meritam noxiam, immune facinus est, verùm in atate utile.* Vid. Gail. *2. O. 106. num. 6.* Si tamen nihilominùs quidam se ab AMICO injuriatum putet, consideratis circumstantiis Reo, puta AMICO, juramentum purgationis deferri posse existimat Gail. *d. l. num. 4.* Còeterùm tacitè remissa censetur injuria, si injuriatus cum injuriato edat, bibat, ludat, & AMICE confabuletur, aut aliud quidpiam faciat, undè remissio colligi possit, & hoc ipso actio injuriarum extincta est Dn. Carpzov. *part. 4. const. 46. def. 8.* Undè bonus Advocatus plerumque allaborare solet, ut partes in puncto injuriarù litigantes, apud communem AMICUM ad convivium invitentur, & eà occasione per interpositionem AMICORUM, animi litigantium exacerbati, componantur.
10. Ex QVASI delicto (1) obligatus est *judex*, qui per imperiti-
QVASI de- am malè judicando litem suam fecerit; secùs est si vel ex gratiâ
lib. 2. vel

vel INIMICITIA iniquè judicaverit, quia tunc in dolo esse intelligitur *pr. 7. de obl. q. qs. ex delict. nasc. l. 15. §. 1. ff. de Judic.* (2) tenetur is, ex cujus cœnaculo etiam in quo gratis s. ex AMICITIA habitat, dejectum effusumvè aliquid est, ita, ut alicui noceret, non præcisè dominus ædium, quia culpa penes habitantem est *§. 1. 7. de obl. q. qs. ex del. nasc. l. 1. §. 4. §. pen. ff. de his qui effud. vel dejec.* quod intellige de eo casu, quando dominus omnè ædium usum cuiquam gratis concessit; si verò ex parte usum ejus retinens AMICITIA ductus, AMICIS aut domesticis, habitationes aut modica hospitio distribuerit, non hi, sed dominus actione de dejecto & effuso tenebitur *l. 5. §. 1. ff. d. tit.* Hospes quoque AMICUS non tenebitur, quia non ibi habitat, sed tantisper hospitatur; verùm is, qui hospitium dederit, *d. l. 1. §. 9. ff. eod.* qui tamen in factum actionem, in ipsum hospitem vicissim intendere potest *Bocer. clas 4. disp. 17. num. 39. Add. Hug. Donell. lib. 15. comm. cap. 43. num. 40.* Tenentur quoque (3) ex quasi delicto actione in factum prætoriâ *nautæ, caup. & stabularii*, ad hoc, ut recepta restituant, si quid dolo aut furto eorum factum erit, quorum operâ navem &c. exercent, quamvis viatores gratis, s. ex AMICITIA navigaverint, vel diverterint, *§. ult. Institut. de obl. q. qs. ex del. nasc. l. 6. pr. ff. naut. caup. stab. &c.*

Addendum etiam est, quòd AMICUS AMICUM armis insultatum defendere, & si is aliter liberari nequeat, aggressorem impunè possit occidere, *arg. l. 54. pr. de Episcop. & cleric. & l. un. princ. C. de rapt. virg.* Vid. Magnif. Dn. Struve *d. tract. de vind. priv. cap. 4. apb. 3. num. 1. cum alleg. Gail. 2. Obs. 100. n. 19. Damhoud. pr. rer. crim. cap. 76. num. 1. & cap. 80. num. 21.*

CAPUT ULT. De Judiciis.

Judicium aliud civile est, aliud criminale. Utrumque constituunt personæ principales, sine quibus nullum judicium est; & minùs principales s. accessorix.

Apertissimi juris est, inquit Imp. Justin. *in l. 16. C. de jud. licere litigatoribus judices delegatos, quos suspectos putant, antequàm lis inchoetur, (imò etiam si nova suspitionis causa, qua in-*

11

12

13

14

1.

2.

Principales sunt
(1) JUDEX.

- tio latebat, emerferit, post litem contestatam, l. 17. ff. de jud.) libello
 3. recusationis porrecto, recusare: Justa autem recusationis causa
 (1) est singularis conjunctio & AMICITIA l. 10. ff. de jurisd. Nec
 non (2) INIMICITIA l. 9. pr. in f. ff. de liberal. caus. Quia quo-
 dammodò naturale est, suspectorum judicium insidias declinare,
 & INIMICORUM judicium semper velle subterfugere c. quod
 4. suspecti in f. III. q. 5. cap. 41. in f. extr. de appellat. Imò etiam ipse-
 met judex, metu futuræ recusationis, propter AMICITIAM
 aut INIMICITIAS, se excusare potest, quo pacto pudori ma-
 gis suo prospiciet Hillig. in Donell. enucl. lib. 26. cap. 1. lit. I. in not.
 Sed quid si ordinarius sit? Tam de jure civili quàm Can. recu-
 5. sari potest, omnes enim lites absque suspitione procedere de-
 bent d. l. 16. Cod. Magnif. Dn. Richter, ad auth. si v. contigerit C. de
 judic. n. 5. 6. & seqq. ubi etiam Dn. Brunnem. Magnif. Dn. Stru-
 ve/Ex. ad π. IX. th. 11. per txx. ibid. alleg. Dn. Schnob. disp. ad π.
 6. V. th. 12. (Dissentit. Gail. 1. Obs. 33. num. 1.) Si vero AMICITIA
 non adeò magna, nec graves adeò sint INIMICITIE, &
 Judex simul sit spectatæ fidei, vitæ & integritatis, ut non facile
 iniqua in eum cadat suspicio, aut altera pars exceptionem (scil.
 suspecti judicis) sibi competentem non opponat; Quæsitum est,
 An, si uterque litigantium ejusmodi instructus est argumentis, ut
 judex neutrum horum vel absolvere vel condemnare possit, gra-
 tificationi locus sit, h. e. an judex in gratiam AMICI, s. isti par-
 ti cui magis favet, victricem ferre sententiam possit? Et Re-
 7. spond. Negando: Casus enim pro AMICO, (ut vocant) est reverà
 vel potius pro diabolo, qui causam detrudendi in gehennam,
 ex eo nanciscitur; Et ità sentit Magnif. Dn. Struve Ex. 2. th.
 54. & alleg. Bernard. Scotanus disp. 1. th. 7. Hieron. Treutl. vol. 1.
 disp. 1. th. 1. lit. b. Et quantumcunq̄ sit AMICITIE vinculum; ta-
 men AMICI causâ non est peccandum, turpis enim est excusatio
 peccati, si AMICI causâ peccaveris: ait Cic. in Lel. Gail. 2. de
 pac. publ. cap. 10. n. 29. Kekerman. System. Eth. cap. pen. pag. 374.
 præsertim, cum & jus divinum respectum personarum veter.,
 Deut. I. vers. 17 Vid. Nob. Dn. Præf. Disp. Inaug. de prosopolepsia
 in princ. dum enim meliùs non addit alteri lanci pondus, quàm
 AMICITIAM, eoq̄ ipso alterius partes pronunciat injustas, non
 vide-

videmus quomodo non peccet: quid enim facit ad causam inju-
stitiam, judicem non habere AMICUM? dum enim Judex boni vi-
ri partes sustinet, utriusq; AMICUS esse debebat. Svadeat itaq; vel
tandem transactionem. Treutl. *d. loc.* Contrà hæc insurgit ex 8.
falsâ & infirmâ ratione Bach. ad *Tr. d. l.* desumptâ à quæstio-
nibus juris merè civilis, opinionibus Interpretum ità utrinq; a-
gitatis, ut judex bivius in neutram partem declinare possit, verum;
Dari tale Jus merum civile, negat. Dn. Ludw. ad §. 1. *J. de jur.*
nat. gent. & civ. num. 2. quia omne jus civile ex principiis juris
naturalis derivatū est *arg. l. 6. de I. & I.* Ergò nec ex eo quæstiones:
non entis enim nullæ sunt qualitates. Deindè extrà quæstio- 9.
nes cathedrales vix datur talis casus, sed meditabitur potiùs ju-
dex, an non similis controversiâ jamtùm sit decisa: Sin minùs;
consideratis etiam minimis circumstantiis causam diligentèr
examinare, & quod ei justum legitimumque videbitur, decer-
nere debet, *Nov. 125. cap. 1.* Et si judex non adeò versutus se
expedire nequeat, causam ad superiorem, vel Jurisperitos re-
mittere debet *l. 79. §. 1. ff. de judic.* non enim imperitia judicis par-
ti litiganti nocere debet. Nec movet quòd ipsi Interpp. fate- 10.
antur quasdam controversias Imperatoriâ decisione egere. Nam
quia eo ipso aliud quàm gratificandi remedium adest, Judex pro
AMICO non judicabit; sed Imperiale rescriptum impetrabit, da-
tur enim & sic alius elabendi modus, & quod Imperator tunc sta-
tuit, Jus erit. Quam responsionem etiam isti Bachovii in-
sultui de Communibus contrà communes, opponimus. Nec
seculum nostrum adeò infelix est, ut JCtos aliorum salivam lin-
gentes gignat; per Dei gratiam enim pleræque quæstiones be-
neficio philologiæ & antiquitatis ex ipsius Juris civ. penetrabili-
bus hodiè sunt decisæ, quæ olim lubrico opinionum fundamen-
to superstructæ erant. Hoc quoque notandum venit, quòd, si
litigantes fortè potentiores sint, & judex eorum metuat INIMI-
CITIAS, à judicandi munere non liberetur. Umm. *Disp. ad pro-*
cess. 19 num. 25. & alleg.

Recusatò Judice venit ad Arbitrum *d. l. 16. C. de jud.* Qui 11
vel à magistratu constituitur, & si arbitrium in alterutram par-
tem iniquum videatur, perindè ab eo, atque à judicibus, appella-
re li-

E

re li-

- 12 re licet, l. 9. ff. qui satisd. cog. & ibi Anton. Faber in rational. Vel ex partium conventionem s. compromisso, & stari debet sententia ejus, sive æqua sit, sive iniqua, sibi enim imputet, qui compromisit l. 27. §. 2. ff. de recept. & qui arb. recep. læsus tamen si Arbitrum, aut gratiã, aut INIMICITIA ductum, iniquam sententiam dixisse probaverit, exceptione doli uti potest l. 32. §. 14. ff. eod.
- 13 Magnif. Dn. Struve/ Ex. VIII. tb. 104. in fin. Quòd si communem AMICUM arbitratores constituimus, isque duriores dixit sententiam, ad arbitrium boni viri reducitur l. 76. & seqq. ff. pro
- 14 Soc. Excusare etiam se potest à sententiã ferendã Arbitr. causã cognitã, v. g. si capitales INIMICITIÆ inter eum & litigatores, vel alterutrum eorum intercesserint l. 15. ff. de recept. & c. Add. ea, quæ tradit Rutg. Ruland. tract. de commiss. part. 1. lib. 1. c. ult. n. 9. & seqq. usq. ad finem. Et hæc in causis civilibus.
15. In criminalibus in genere de Judicis officio tenendum, quòd captum facinorosum, qui fortè metu supplicii eò aufugit, precario s. jure AMICITIÆ & vicinitatis, ad locum delicti remittere possit, ut ibidem ad exemplum aliorum judicium sortiatur, delictique poenam luat; idque sub antigrapho sive literis reversalibus Gail. 1. de p. p. c. 16. num. 30. & 31. Dn. Carpz. prax. crim. quest. 110. num. 58. Hillig. ad Donell. lib. 17. cap. 16. lit. I. in not.
- 16 Procedit autem Judex, vel ad factam denunciationem: vel ex officio, si gravis quædam conjectura adsit: Denunciare possunt
- 17 personæ publicæ, & quæ aliàs ad accusandum admittuntur. Qui verò typo malitiæ potiùs, quàm justitiæ zelo, aut quòd ipsimet INIMICI sint, aut cum INIMICIS conversentur, denuntiant; iis nulla, aut certè rara fides est, cap. cum oporteat. 19. extr. de accusat. P. H. Ord. art. 25. §. Erstlich ob der/c. imò etiam Judex INIMICUS ab inquisitione summovetur d. cap. Nullã verò factã denunciatione, gravis INIMICITIA, quæ inter offensum & inquirendum intercessit, ad inquisitionem sufficiens conjectura est.
- 18 Dn. Brunnem. tract. de inquisit. processu cap. 4. num. 37. Sed quid si facinorosus de alio criminis socio confiteatur, an propter hanc inculpationem ad carcerem rapiendus est? Quod verum est, si spontè, cum circumstantiis, & constantè confessio facta sit, & in confessum probabiliter cadat facti suspicio: nisi
- 19 inter

inter confessum & confitentem quædam intercesserit INIMICI-
TIA. Nam INIMICORUM, vel de INIMICI domo prodeuntium, vel
qui cum INIMICIS immorantur, confessioni non creditur, etiam-
si conciliatio intervenerit; ne irati nocere cupiant, vel læsi se
ulcisci velint *cap. 2. 3. & passim caus. III. q. 5. cap. repellantur 7. &*
cap. meminimus 13. extr. de accus. Magnif. Dn. Struve / Ex. 48.
th. 7. Dn. Carpz. 3. q. 104. n. 30. & in process. tit. 13. num. 21. 20
Quin-
imò nec AMICUS admittendus est accusare, qui colludere præsu-
mitur Dn. Hahn. *ad Wesenb. b. t. num. 9. pag. 1000.* Neque INI-
MICORUM quæstioni fides haberi debet, quia facilè mentiuntur.
*l. 1. §. 24. ff. de quæstion. P. H. Ord. art. 31. ubi sic: Zum dritten ge-
bühret sich zuerkünden / ob der Sager in der Feindschafft / Unwil-
len / oder Wiederwärtigkeit mit dem Versagten stehe / &c. nec ta-
men semper sub prætextu INIMICITIARUM detrahenda erit fides
quæstionis d. §. 24. de quæst. & P. H. D. d. art. 31.*

De accusatore hoc observabimus, quòd, si accusatio alicu- 21
jus publicè instituta est, non sit compellendus accusator ad eum 2) ACTOR
legationem suscipere, qui se AMICUM vel domesticum dicit, ejus,
qui accusatur *tx. in l. 4. §. ff. de legationib.*

REUS, si à delicto se purgare velit, sumtus ad inquisiti- 22
onem vel producendum testes necessarios, vel ipse, vel AMICI (3) REUS.
ejus subministrare debent, *P. H. D. art. 47. §. und so der Ge-
fangen / &c.*

Non spontè judex officium suum impertit; sed ut postula- 23
tio fiat, necessè est. Postulare autem est desiderium suum vel *Minus*
AMICI sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere: *principa-*
vel alterius desiderio contradicere *Ulp. in l. 1. §. 2. ff. de postul. quia les sunt*
verò ad postulationem ipsimet principales plerumque inepti (1) Advo-
sunt, Advocatorum utpotè AMICORUM utuntur patrociniò; *catus.*
Quorum officium hinc laudabile, vitæque hominum maximè
necessarium esse dicitur *in l. 4. C. de advoc. 2. & l. 1. l. 14. de advoc.*
1. Officium autem eorum est, ut ità litigantibus patrocinia præ- 24
beant: ut non ultrà, quàm litium poscit utilitas, in licentiam,
temeritatemque conviciandi prorumpant; si verò quis fortè
adversæ partis INIMICUS, probris potiùs, quàm rationibus cer-
tandum esse putet, opinionis suæ imminutionem patietur.

- 25 *l. 6. §. 1. C. de postul.* Compelli de jure Advocatus ordinarius potest ad præstandum officium suum litigantibus, præsertim, si ob potentiam adversarii neminem sibi patrocinari velle, quis conqueratur, *Myns. cent. 4. Obs. 32. Gail. 1. Obs. 43.* nisi legitimis ex causis sese excusare valeat; Justa autem & sufficiens causa ad excusationem est AMICITIA, v. g. si quis eum, contrà quem postulare debet, dicat suum AMICUM esse Dn. Brunnem. *ad l. 7. Cod. de postul.*
- 26 Et possunt omnes postulare, qui non prohibentur. Prohibentur verò in foro civili postulare Clerici *tot. tit. extr. de postul.* imminente tamen necessitate, quin pro AMICO advocati officium exercent, nihil vetat, *arg. cap. ult. extr. d. tit. & ibi Interpp.*
- 27 Notabiliter etiam dicitur, quòd, si Advocatus quidam, morte præventus sit, vel aliàs officio suo resignaverit, advocati filius extraneis præferri, & quidem gratis s. ex AMICITIA in locum ejus surrogari debeat; modò solitò tempore legum doctrinam meruerit *l. 3. §. 5. l. 5. §. 5. C. de advoc. 2.*
- 28 (2) Procurator. Procuratore etiam, qui nomine domini, litem in judicium deductam administrat, opus est, *l. 1. §. 2. ff. de procur.* qui, si sine mandato agere velit, repellitur, *l. 24. C. eod.* eò autem acceptò, edicto prætoris ad agendum compellitur, nisi capitales INIMICITIÆ inter ipsum & dominum intercesserint *l. 8. §. ult. l. 14. l. 21. l. 43. in ff. d. tit.*
- 29 Sed quid si iis non attentis procurator agere conetur? Dominus non ante solùm, sed & post litem contest. mandatum revocare potest *d. l. 21. & seqq.*
- 30 Nonnunquàm tamen quædam personæ, propter conjunctionem sanguinis, absque mandato, saltèm præstità cautione de rato, ad agendum admittuntur *vid. l. 35. pr. ff. eod.* quod & de AMICIS singularibus affirmandum duximus, cum inter eos sæpè major sit affectio, quàm inter sanguine conjunctos gradu remotiores, adeò ut hïc æquè ac in conjunctis, tacita AMICI voluntas, vel saltèm eum gesta ratificaturum, præsumatur; & hanc sententiam probabiliorem dicit Hillig. *ad Donell. lib. 18. cap. 12. lit. K. in not. Alciat. ad d. l. 223. de V. S. num. 13. (Dissentit Hub. Giphon. lect. Altorph. ad d. l. 35. de procur. num. 4.)* quod etiam in praxi observari notat Rosbach *pr. civ. tit. 14. num. 14. & seqq.* quem allegat Dn. Hahn. *ad Wesenb. tit. de procur. num. 4. in verb. conjunctas personas.* Quibus obloquitur

tur Gail. 1. Obs. 133. num. 2. Et 2. de p. p. cap. 10. num. 28. & seq. in
Camerâ non esse receptum asserens. Susceptâ semel defensio- 31
ne, AMICUS, si causæ utilitas id exigat, appellationem quoque
interponere tenetur; quod intelligendum est de eo casu, quan-
dò AMICUS utpotè defensor, tanquàm dominus litis condemna-
tus est: Secùs est, si ipse dominus, qui frustrandi causâ litem de-
seruerat, absens, & AMICUS saltèm causas absentiaæ allegaverit,
judici, tunc enim, si calumniosam & frustratoriam appellatio-
nem non interposuerit, culpam contraxisse non videbitur, l. 31. §.
2. ff. de negot. gest. & ibi Anton. Fab. in rational.

Testes ad fidem de negotio faciendam sæpiùs à litigantibus 32
producentur, quorum conditio, & præsertim, an AMICI sint vel 3) Testes
INIMICI, diligenter exploranda est, l. 3. in pr. ff. de testib. Si AMI-
cus sit testis: Judex, cujus religioni & arbitrio hæc in re plurimùm
tribuitur, causam AMICITIÆ, an ex societate ociosâ, an ex hone-
stâ sit sedulò inquirere debet, & si aliàs AMICUS sit persona spe-
ctatæ fidei, vitæ & integritatis, ut omni gratiæ & AMICITIÆ, fi-
dem religioni judiciariæ debitam, præponere possit, in causâ A-
MICI à testimonio non est repellendus l. 21. ff. de usur. l. 5. C. de
testib. ibiq; Dn. Brunnem. quam sententiam veriozem dicit Dn.
Hahn. ad Wesenb. h. num. 7. pag. 153. si vè maxima sit AMICITIA
si vè levis. Diminuitur tamen fides ejus, adeò, ut ubi aliàs duo
testes sufficerent, tres AMICI recipiantur Vid. c. 5. extr. de testib.
Dn. Hahn. d. l. Alciat. ad d. l. 223. de V. S. num. 14. Si INIMICUS 33
sit: distingvimus: utrùm ex causâ criminali INIMICITIA ex-
arserit, quæ capitalis sit, & hæc semper testem repellit, etiam si
nunc conciliatâ gratiâ benè inter se convenient; quia nun-
quàm vindictæ suspicione carent c. accusatores & testes c. accu-
satores vel testes c. omnes III. q. 5. nam natura INIMICITIÆ est, ut
INIMICUS INIMICUM quærat offendere, ad quod exoptata se of-
ferret occasio, si contrà illum ad testificandum admitteretur,
l. 17. C. b. tit. Dn. Carpz. part. 1. c. 16. d. 56. & in process. tit. 13. art. 5.
§. 4. An verò ex causâ pecuniariâ & civili, & tunc admittendus 34
quidem est; sed quantum fidei isti tribuendum sit, arbitrio boni
judicis committitur, & exceptio contrà testem, ne examen testi-
um differatur, adversæ parti, donec de dictis testium est disce-
ptan-

ptandum, reservatur *autb. si testis* & ibi Magnif. Dn. Richter /
& Dn. Brunnem. *C. de testib.* Vid. Menoch. *A. J. Q. cas. 239. n. 8. & seqq. & cas. 110. per tot.* quod verum est, si saltem unius par-
tis INIMICUS est; Ast si utriusque, aut Ille contra quem produci-
tur, consentiat, nihil officit, Dn. Carpz. *d. def. 56.* Dn. Hahn. *d. loc.* Plura de testibus AMICIS vel INIMICIS vide apud Hillig. *in Donell. enucl. lib. 25. cap. 12.*

Hæc sunt, BENEVOLE LECTOR, quæ de hâc ma-
teriâ dicere constitueram, diutiùs huic rei inhærere & longiùs
evagari, tum propter temporis penuriam, tum propter ingenii
tenuitatem, non mihi consultum fuit. Interea hisce paucis
contentus, æqui bonique consulas. Melior meliora
promitto. TANTUM.
SOLI DEO GLORIA.

Quæ

QVæ natura soli dives testatur arista,
At tua quæ mens sit, scripta polita probant.
Scilicet es mitis, veros nam scribis amores
Quos tibi Pindicolæ tradidit ipsa Themis.
Sis facilis, studiumque tuum post gnavitèr urge,
Ut subeas placidum divæ aliquando torum.

Boni ominis & benevolentia causa gr.

CHRISTOPH. PHILIP, Richter / D.
Com. P. C. P. P. & Fac. Jur. Ordinarius.

S*Alana Themidi tua fert industria fructus
Ac per AMICITIAS utilitate probat.*

Eximio Dn. Respondenti amico suo pl. dile-
cto ex animo gratulatur

GEORGIUS ADAMUS Struve / D.

Iuris in articulis tractas quid profit amicus:
Sit fortuna Tibi semper amica precor.

JOHANNES CHRISTOPHORUS Falckner /
J. U. D. Prof. Publ. h. t. Collegii Juridici Decanus.

MUMPERO, virtutis studium quod lætus aperto
decurris campo, titulosque ac præmia laudis
affectas, laudo. Lætæ indulgentia fortis
adfiet, ut facili expedias te tramite, tandem
inque foro læsis tua sit facundia lingvæ
præsidio: justisque sies bonus, asper iniquis.

*Hoc voto MUMPEROVIVM, sedulum juris
cultorem, de amicitia publicè cum laude differen-
tem, prosequitur, pluresque illi amicos optat*

GVERNERUS ROLFINCIUS, Phil.
& Med. D. P. P. SENIOR.

ET Leges & Jura Tibi devincis amore,
Legalem quando sistis amicitiam.

Gra-

Gratulor, ut tandem legum tum juris amicus
Tantæ digna feras premia amicitia.

Nobilissimo atque Eruditè docto Dn. Conrado Henrico
Mumperoppe, Fautori, Amico atq; Consalino suo hono-
rando, de Amicitia disputaturo ita gratulari v. d.

M. David Lipach/ Eccl. Jen. Diac.

Was Rechtens Damon sich un Pythias erfreuen (Neyen?
Entwirfft Sein kluger Kiehl. Wächst solche Frucht im
Was dürfften künfftig wir von diesem Baume brechen?

Denn Er die Kräfte mehr' / aus Fleiß = beliebten Bächen.

Mit diesem geringen wolte seines geehrtesten Her-
ren Stubengesellens und vertrauesten Freun-
des / unermüdeten Fleiß / welcher durch dieses wol
gesetzte Werk herfürbricht / bezeugen /

Thomas-Siegfried Ring / von Brieg aus
Schlesien / B. R. B.

Damit Unwarheit nur verdunckelt hie mag bleiben /
Kan mancher grosse List vorm Richter-Stule treiben /

Sein Freund muß zeugen oft. Ihr sprecht in dieser Schrift
Recht / Nein. Beehrter Freund. Ob dieses nun wol trifft

Gleich mit der Wahrheit ein / dennoch kan ich nicht lassen
Ein wahres Zeugnis Euch in eile abzufassen /

Daß nemlich Ihr alhier gelehrt uns zeigt an /
Wie man des Freundes sich zum Zeugen brauchen kan.

Justus Port, Bielefeldiâ Westph.

Geh' edle Themis da: Was unser Musen Sohn
Der immer dir gedient / legt hin für deinen Thron:


Kein Silber / Gold noch Erzt: es ist ein' edle Schrift /
Die besser ist als dieß: Ja / alles übertrifft.

Die Themis nimt sie an: Rühmt euren klugen Geist
Der sich gewaltiglich vom Pöbel-Volke reißt /

Ich wünsche Glück hiezu: Die Themis muß vermehr'n
Eur Lob / und euch gar bald wo anders mit beehr'n.

Caspar Heinrich Willmans / Bilef. Westph.

F I N I S.



19

F. J.
DISPUTATIO JURIDICA
De
AMICITIA
ET
INIMICITIA,

Quam
DEO FELICITER ANNUENTE
Magnifico & Nobilissimo Jctorum Collegio in Illustri
ad Salam Academia permittente
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi
DN. ADRIANI BEIERI,
J. U. DOCTORIS CELEBERRIMI
Patroni ac Præceptoris sui omni observantiæ & hono-
ris cultu devenerandi

Publicæ placidæq; Eruditorum disquisitioni submittit
CONR. HEINR. MUMPEROVVE,
EX Schletbrügk VVestph.
A U T O R.

Ad diem 25. Martii
IN AUDITORIO JCTORUM
Horis matutinis consuetis.

7 E N Æ,
Typis WERTHERIANIS, Anno M. DC. LXV.

